Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Friedrich Winter

Dissertatio Theologica Inauguralis De Vocatione Messiæ A Patre Ad Munus Mediatorium Sub N. T. In Salutem Gentium Æque Ac Judæorum ad Esa. XLII. vs. 6. 7.

Bremæ: Typis Viduæ B.H.C. Jani, A. D. MDCCLIX. mense Majo

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862227305

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862227305/phys_0001
DFG

1379 a.B.
48.b.8.

Ia-1092 (13.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862227305/phys_0002
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862227305/phys_0003
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862227305/phys_0004
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862227305/phys_0005
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862227305/phys_0007
DFG

22.

DISSERTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS
DE

VOCATIONE MESSIÆ A PATRE AD MUNUS MEDIATORIUM SUB N. T. IN SALUTEM GENTIUM ÆQUE AC JUDÆORUM

ad Esa. XLII. vs. 6. 7.

Quam

Cum Jnclyta Academia Duisburgensis
Ex Decreto Summe Reverendæ Facultatis Theologicæ
Summos sibi in Theologia Honores
Cum omnibus annexis Jmmunitatibus
ad Diem XXV. Mart. anni MDCCLVII.
perquam honorificè contulisset
In Grati Animi Monumentum
Publicæ disquisitioni subjicere debuit & voluit

JOHANNES FRIDERICUS WINTER
BREMENSIS
S. S. Theol. DOCTOR & ad ædem B. Virg. PASTOR.

BREMÆ, A. D. MDCCLIX. mense Majo.

Typis Viduæ B. H. C. JANI, Jllustr. Gymnasii Typographi.

24. 25. 26. 27. 28. 33. 29. 32. 30 31.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862227305/phys_0009
DFG

DISSERTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS

DE

VOCATIONE MESSIÆ

A PATRE AD MUNUS MEDIATORIUM SUB N. T. IN SALUTEM GENTIUM ÆQUE AC JUDÆORUM

ad Esa. XLII. vs. 6. 7.

Quam

Cum Inclyta Academia Duisburgensis

Ex Decreto Summæ Reverendæ Facultatis Theologicæ

Summos sibi in Theologia Honores

Cum omnibus annexis Immunitatibus

ad Diem XXV. Martii anni MDCCLVII.

perquam honorifice contulisset

In Grati Animi Monumentum

Publicæ disquisitioni subjicere debuit & svoluit

JOHANNES FRIDERICUS WINTER

BREMENSIS

S. S. Theol. DOCTOR & ad ædem B. Virg. PASTOR.

BREMÆ, A. D. MDCCLIV. mense Majo.

Typis Viduæ B. H. C. JANI, Instr. Gymnasii Typographi.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn862227305/phys_0010
DFG

LIBERÆ S. R. IMPERII
REIPUBLICÆ BREMENSIS
SENATUI
AMPLISSIMO Ac SPLENDIDISSIMO
DOMINO
PRÆSIDI
DOMINIS
CONSULIBUS
DOMINIS
SYNDICIS
DOMINIS
SENATORIBUS
RELIGIONIS ASSERTORIBUS.
ECCLESIÆ TUTORIBUS.
JUSTITIÆ VINDICIBUS.
MUSARUM FAUTORIBUS.
PATRIÆ PATRIBUS OPTIMIS.

DO-

24. 25. 26. 27. 28. 33. 29. 32. 30. 31.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862227305/phys_0011
DFG

DOMINIS SUIS

AC

PATRONIS

OMNI HONORIS ET OBSEQUII CULTU

SEMPER PROSEQUENDIS

CUM OMNIGENÆ FELICITATIS VOTO.

DISSERTATIONEM HANC

INAUGURALEM

EA QUA PAR EST OBSERVANTIA

CONSECRAT ET DEDICAT

JOHANNES FRIDERICUS WINTER.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862227305/phys_0012
DFG



DISSERTATIONIS THEOLOGICÆ INAVGVRALIS,

De Vocatione Mesſiæ ad Munus Mediatorium ſub N. T. in ſalutem Gentium & Judæorum ad Eſa. XLII, v. 6. 7.

PROOEMIUM.

Cum admodum Venerabilis Facultas Theologica Inclytæ, quæ Duisburgi ad Rhenum floret, Univerſitatis, conſentiente Amplisſimo Senatu Academico, ſummos mihi in Theologia Honores & privilegia, decenter ambienti, unanimibus ſuffragiis perquam faventisſimè decreviſſet, & actu ipſo die XXV menſis Martii anni MDCCLVII. contuliſſet, eâ tamen ſub conditione,

24. 25. 26. 27. 28. 33. 29. 32. 30 31.

ut certo tempore, à me voluntarie determinando publicum aliquod profectuum meorum in rebus theologicis, & imprimis in explicando Codice S. ſpecimen in forma Diſſertationis Inauguralis, uti vulgo dicitur, in lucem darem: tam religioni quam dedecori mihi duxi, ſi Illorum, quibus reverentiam, obſequium, & gratitudinem debeo, tam honeſto & æquo juſſui morem gerere detrectarem, & acceptam ab Eis dignitatem ſine omni qualicunque ſpecimine poſſidere vellem. Sed quemadmodum homo proponere, Deus autem diſponere ſolet res humanas juxta tritum vetuſtate proverbium, ita & mihi inopinato accidit, ut cum de elaborando quodam ſpecimine ſerio cogitarem, divina dirigente providentia, graviſſimo correptus morbo, febri ſcilicet tertiana, uti in Medicorum ſcriptis appellari ſolet, terna vice recurrente, & adhibitis licet exquiſitiſſimis remediis, totum fere rotundi anni ſpatium durante, quod omnes prope urbis incolæ mecum teſtari poſſunt, à propoſito meo impedirer. Et hoc eſt, quod in anteceſſum monere neceſſarium duxi, cum hanc ob cauſam reſpectu diuturnæ nimis prolongationis in edenda hac Diſſertatione debitam apud omnes æquos rerum arbitros excuſationem mereri ſpero. Nunc autem ſingulari Dei gratia ad priſtinam revocatus ſanitatem, non diutius immorari, ſed breviſſimo, quantum ob alia fieri negotia potuit, tempore me à debito officio liberare volui. Circumſpiciens itaque de idoneo, in quo vires meas experirer, argumento, illa mihi commodiſſima videbatur eſſe materia, quæ opportunitati temporis cum maxime inſerviret. Scilicet cum pia Chriſtia-

dum

dum Cohors nuper Optimi Soſpitatoris noſtri incarnationem & adventum in mundum, ad ſalutem populi ſui perficiendam, ſolenni feſtivitate concelebraverit, & acerbisſimæ ejus pasſiones, quibus opus mediatorium fuit conſummatum, cum ſequuta exinde gloria, qua è mortuis reſucitatus, in cœlos aſcendit, & caput eccleſiæ ex Judæis & Gentibus colligendæ conſtitutus eſt, cœtibus chriſtianis ubicunque vividis depingantur coloribus, in animum induxi, unum ex vaticiniis Prophetarum, qui ſaluberrimam illam veritatem, & lætisſimum miſeris peccatoribus evangelium longe ante prædixerunt, aliqua commentatione illuſtrare; idque eo magis, quia oracula Prophetarum ſedula mentis lance trutinando, & cum evangelio implementi diligenter conferendo, in cognitione veritatis, quæ eſt in Chriſto, multum proficere, fidemque noſtram in Servatorem nobis datum omni modo corroborare poſſumus; quod, quemadmodum unicuique veri nominis Chriſtiano, ita imprimis Theologis & verbi divini Miniſtris cum maxime incumbit, utpote quorum præcipuum officium eſt rite cognoſcere, & fideliter inculcare cœtibus ſuis veritatem illam palmariam, Jeſum eſſe Chriſtum, ut vera illum fide amplectendo promiſſam in verbo Dei vitam æternam ex mera gratia obtineant. Inter talia autem varii generis vaticinia, quæ ſeſe mihi offerunt, illud cum maxime arriſit, & velut Luna inter minores ſtellas emicat, quod in frontispicio hujus Diſſertationis indicavi, & legitur apud Prophetam Eſaiam Cap. XLII, v. 6. 7. in quo enucleando & propius illuſtrando tantam navabo operam, quantam exigua cognitio-

nis meæ Theologico-Propheticæ mensura, multique alii labores ardui, quod mihi concreditum est, muneris, permittere volunt. Quo circa conatus hos B. L. benigne excepturum, & quod illis forte deest, virium mearum tenuitati condonaturum confido, cum & in magnis voluisse satis sit. Cum summa necessitas, fidei solvendæ gratia, me ad scribendum impulerit, admodum mihi gratulabor, si quibusdam placuero, tunc insumti laboris me nuncquam pœnitebit. Etenim, ut non nemo canit:

Omnibus semper placuisse res est
Plena fortunæ: Placuisse paucis
Plena virtutis: Placuisse nullis
Plena doloris.

Ut autem propius ad ipsam rei arcem accedam, in elucidatione oraculi electi, eum servabo ordinem, ut *Primo* post quædam præfamina, de scopo Esaiæ in vaticiniis suis, imprimis nostro, ejusque cum antecedentibus nexu & cohærentia, diligenti cura inquiram, in quam illustrem personam subjectum Prophetiæ nostræ solummodo quadret, nimirum in neminem alium, quam promissum Messiam & Servatorem Gentium æque ac Judæorum, quia ab hujus inventione, & solidis argumentis stabilita demonstratione totus vaticinii sensus unice dependet, & in ejus explicatione eo felicius progredi possumus. *Secundo* sensum literalem singulorum vaticinii nostri verborum & phrasium summa cum ἀκριβεία eruam, & tantum lucis, quantum potero, accendere studebo. *Tertio* denique implementum oraculi brevibus subjungam, ostendendo, in prius nominato Messia solum-

lummodo veritatem suam nactum fuisse. Deum Ter Optimum Maximum ardentissimis contendens precibus, ut me potentia roboris, spiritusque sui gratia illuminante adjuvare, & in veritate sua sanctificare velit, quia verbum ejus veritas est.

§. I.

Esaias secundum ministerii sui scopum hoc agit in vaticiniorum volumine tum, ut corruptam gentis suæ vitam & fidem nomine Dei redarguat, hypocrisin & vitia Principum, sacerdotum & populi acerrimè reprehendat, horrenda Dei judicia, & gravissimas impiorum pœnas prædicet, omnesque per veram pœnitentiam ad fidem in Messiam, & sic in viam æternæ salutis revocet, tum, ut etiam piorum reliquias gravissimis argumentis de Dei omnipotentia, justitia & veritate, imprimis de promissa ipsius gratia in Messia, glorioso ejus regno, super omnes hostes triumphaturo, quod vividis passim imaginibus, ingentique sermonis dulcedine ac elegantia describit, identidem in fide erigat, atque in via miseriæ & calamitatum varii generis, spe æternæ lucis & gloriæ soletur, uti post Commentatores in hunc vatem fusius ostendit Clar. JOH. HENR. MICHAELIS in Dissert. de Jesaia propheta ejusque vaticinio, qui insuper benè observat, Prophetam idcirco à Patribus AUGUSTINO, HIERONYMO aliisque, quorum testimonia adducit, non tam ut Prophetam, quam ut Evangelistam & Apostolum consideratum ac vocatum fuisse; quia adeo clarè & perspicuè, ac nullus Prophetarum antea, de Christo ejusque regno sub N. T. vaticinatus sit. Quod & CUNÆUS animadvertit in Republ. Hebræorum Libro III. Cap. 7. dicens: *Inter eos Vates, qui de Messia scripsere, perquam disertus est Esaias: Oratio ejus erudita ubique & majestatis plena, facilè ostendit, quâ esset natus origine. Vir enim nobilissimus, & Principum consanguinitate clarus, artes omnes scientiasque didicerat, quibus ingenia ad magnæ fortu-*

24. 25. 26. 27. 28. 33. 29. 32. 30 31.

Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862227305/phys_0017 DFG

næ cultum excitantur. Liber autem ejus non tam vaticinia continere, quam Evangelia videtur. Res esse pridem gestas, non futuras putes.

§. II.

Eundem scopum & finem intendit in præsenti capite, ex quo argumentum Dissertationis meæ desumtum est, si modo nexum & cohærentiam ejus cum antecedentibus propius inspiciamus. Scilicet cum Judæi auribus audirent minas, Regi Hiskiæ, populoque Israelitico denunciatas Cap. XXXIX. credibiliter ingens quædam animos piorum affecit sollicitudo, ne forte interverteretur consilium Dei de Christo Sospitatore, è semine Davidis orituro. Blandis igitur lugentes Zionis Deus per Prophetam mulcet solatiis, certioresque eos facit de Messia in salutem Judæorum & Gentium re vera venturo. Ostendit item post aliquam populi expurgationem, captivos reducendos ad patrios lares, ibique de adventu Christi per Prodromum admonendos esse, post quem ipse promissus Messias è vestigio adpareret, eo quidem apparatu, ut Evangelium suum duceret in triumphum Cap. XL. Exornatur sequens scena Cap. XLI. varia compellatione ad Ecclesiam factâ, pœnarum, quæ inmorigeros maneret, repræsentatione, Pseudoprophetarum exagitatione, Judæorum convictione, idolorum, quibus populus ad imitationem gentium contaminatus fuerat, ostensa vanitate, ut hoc pacto animi eorum præparentur ad cognoscendam, & majori anxietate exspectandam promissam illam Ecclesiæ N. T. ex Judæis & Gentibus in futuro Messia salutem, & cum eâ conjunctam regni ejus fertilitatem, statumque felicissimum.

§. III.

Hanc solatii & lætitiæ plenam materiam Propheta jussu Dei capite hoc XLII. tanquam in concatenatâ oratione ulterius prosequitur, ut plurimi Interpretes non sine ratione arbitrantur, licet sub nova iterum scena, ut opinor, in qua

quâ variæ perſonæ variis ſub verborum ſchematibus introducuntur. Scilicet

א. Comparet hic Deus Pater, Meſſiam filium ſuum tanquam in carne manifeſtatum Judæis, qui non eâ, quâ par erat, animi veneratione eum proſequebantur, Gentibus, craſſâ idololatria conſpurcatis, digito quaſi indicans, eumque celebrans, ut magnum illum Doctorem & Prophetam, cujus doctrinam Inſulæ præſtolarentur, & quæ patulis excipienda erat auribus, quia Judæos pariter ac Gentes doctrina ſuâ puriore & lumine divino illuſtraret, illisque viam ſalutis in tantis mundi tenebris fideliter monſtraret verſibus 1. 2. 3. 4.

ב. Sermonem dirigens ad ipſum Filium, illi conſulendo, reſpectu vocationis Gentium, poſt repudiatum à Judæis Evangelium de Meſſia a v. 5-9.

ג. Nonnulli introducuntur fideles, qui animadvertentes ſalutem etnicorum annunciari, eos ad celebrandum laudandumque Jehovam incitant ob ingentem, qua perfundebantur ſalutem, cum Jehovæ juſta ultio interea immorigeros infeſtosque Judæos perſequeretur v. 10-13.

ד. Audire videor Chriſtum Meſſiam, ejusque miniſtros hæc omnia confirmantes, atque adeo

α. Chriſtum loquentem introduci, Judæisque exprobrantem ſupinam illam inertiam, quâ tantam negligerent ſalutem v. 14-20.

β. Apoſtolos miniſtrosque ejus ſimul indicantes, quantâ afficiendi eſſent pœna, ſi in incredulitate permanerent, neque ab etnicis ad æmulationem provocarentur. à v. 21. ad fin. cap.

§. IV.

Ex hac igitur generali capitis diviſione conſtat, commata 6. & 7. quæ mihi propius illuſtranda propoſui, ad ſecundam ejus partem ſive ſectionem ſpectare, & re rite perpenſâ, nihil aliud continere, quam *Egregiam Dei Patris per Vatem Eſaiam lugentibus Zionis editam promiſſionem de voca-*

24. 25. 26. 27. 28. 33. 29. 32. 30 31.

vocatione & missione Messiæ Filii & servi sui dilectissimi in tempore plenitudinis, sub œconomia nimirum N. T. ad ornandum & perficiendum munus mediatoris, in commodum & salutem non solum Judæorum, sed etiam & præcipuè Gentium, à cognitione veri Dei ejusque communione hactenus quam remotissimè excluſarum: quam Pater Filio suo non tantum per directionem sermonis ad illum in formam consilii, sed & veris Ecclesiæ Judaicæ fidelibus in solatium proponit, eum in finem, ut Judæi æque ac Gentes, quorum salus Messias fieret, relicto propriæ justitiæ tramite, & spreto idolorum cultu ad illum vera resipiscentia & fide confugerent.

§. V.

Messiam itaque, quemadmodum in toto ferè capite, ita imprimis in Oraculo nostro, unicum subjectum constituere, hoc est, quod mihi, ut in Procœmio monui, ante omnia probandum incumbit, ut deinceps in ipsa vaticinii explicatione eo felicius progredi possim, quia hoc probato, & solidis argumentis stabilito, verus prophetiæ sensus facili negotio erui potest. Messiam vero pro unico hujus oraculi, imo totius capitis subjecto habendum esse, libenter mecum confitebitur, quicunque seriem nexumque verborum nostrorum cum antecedentibus hujus capitis versibus 4. prioribus paulo accuratius contemplabitur. Luce enim meridiana clarius est, utrobique de uno eodemque subjecto, licet sub varia alloquendi forma ac flexione agi. In 4. prioribus versibus Pater de Filio suo Messia tanquam de tertio quodam loquutus fuerat, & talibus eum depinxerat characteribus, ut populo judaico facilè notum fieri potuerit, hîc non alium præter Messiam innui: In prophetia vero nostra v. 6. & 7. Pater post aliquod interjectum præfamen v. 5. tanquam in parenthesi, quo se ut omnipotentem omnium rerum Creatorem describit, orationem suam ad Filium ipsum, atque adeo ad unum idemque subjectum convertit, & de ipso in alia quasi flexione & casu, nimirum in secunda persona loquitur, dicens: *vocavi* TE *in justitia, prehendam manum*

manum TUAM *custodiam* TE, addendo salutarem ejus vocationis finem, fructusque, in commodum Ecclesiæ exinde redundaturos. *Dabo* TE *in fœdus populi, in lucem gentium ad aperiendum cæcos oculos* & sic porro. Quæ omnia simul sumta, & cum prædicatis subjecti versuum antecedentium comparata, cum in uno tertio conveniant, satis clarè docent, de uno eodemque subjecto, Messia videlicet utrobique sermonem esse, &, ut statim propius ostendam, in neminem alium, quam in ipsum quadrare posse. Mirari proinde subit, qui fieri potuerit? ut nonnulli sacra Dei oracula non tam interpretari, quam ad suum lubitum detorquere maluerint, quando aliud sermonis hujus prophetici subjectum excogitarunt. Referam tantum quorundam opera suâ hic abutentium opiniones, quas cum cursim libabo, argumentis quibusdam contra eas allatis evertere, mearum fore partium existimo.

§. VI.

Primo igitur loco mihi nominandi veniunt illi, qui per servum Jehovæ, ejusque dilectum, de quo in initio hujus cap. mentio fit, et in oraculo nostro dicitur à Patre vocatum & datum esse in fœdus populi, & lucem gentium, Ecclesiam judaicam, populumque Israeliticum intelligendum esse censent, ut Alexandrini nomine LXX. Interpretum satis noti. Quare primi commatis verbis inseruerunt nomina Ιακωβ ὁ παῖς μου Ισραελ ὁ ἐκλεκτός μου. Quibus calculum suum adjiciunt RASCHI comment. in h. l. aliique Hebræorum Magistri, qui multa hac de re nugantur, nec omni prorsus, quo causam suam tueantur, destitui argumento existimant, Jacobi, quem Deus vocaverat, & Israelis, quem elegerat, nomen de suo infarcientes. Scilicet cum magnificè sentiant de Ecclesia Judaica, elogia à Propheta heic loci memorata, quibus cum maximè Messiam exornat, Ecclesiam populumque Judaicum ea jure suo quodam sibi vendicare posse arbitrantur. RASCHI aliique cum

eo militantes, nituntur collatione quorundam Esaiæ locorum, nimirum Cap. XLI. v. 8-10. XLIV. 1. 2. XLV. 4. LXII. 4. conf. Ps. CXLIX. 4. in quibus de Ecclesia populoque Judaico dicitur: *Esse Dei servum, quem elegerat & dilexerat, quia pretiosus & honoratus visus fuerat in oculis suis, qui vocabitur deliciæ Dei, quia delectabitur in eo, & erga eum benignus est, quemque idcirco vindicaverat, nomine suo vocaverat, imo prehenderat ab extremitatibus terræ, ut suus populus esset, dicens ei: Servus meus es elegi te, neque sperno te. Ne timeto, quia tecum sum, ne stupeto, quia sum Deus tuus, fortifico te, etiam auxilior tibi, etiam sustento te dextera justa mea &c.* Quia igitur hoc nominis similllimaque epitheta encomiastica in initio h. cap. ut & in prophetia nostra etiam servo Jehovæ tribuuntur, idcirco concludunt, per eum nonnisi populum Israeliticum, Ecclesiamque judaicam intelligendum esse. Sed ratiocinationes istæ, si verum fatear, infirmo admodum nituntur talo. Consequentia enim, quæ inde elicitur, non semper procedit, quia in uno alterove loco per servum Dei electum Ecclesia populusque Judaicus intelligitur (quod in locis modo adductis satis recte sese habet) ergo etiam in h. cap. & loco nostro, ac si non darentur dilecti in dilecto, electi in electo, ut viri docti adpositè notarunt. Præterea hæc argumentatio minimum morabitur eos, qui prophetias in nexu & accipere & interpretari didicerunt. Non enim unum alterumve attributorum, quod alicui in scena aliqua prophetica tribuitur, illico evincit, de illo præcisè tanquam subjecto totum sermonem haberi, sed nexus orationis, prout par est, animo volvendus erit. Quæ autem in sequentibus de hoc servo, legitimo prophetiæ subjecto adduntur, qualia sunt: *jus gentibus proferet, non vociferabitur, neque attollet, neque faciet, ut audiatur foris vox ejus. Arundinem quassatam non franget, & ellychnium fumigans non extinguet, ad veritatem proferet judicium, ad legem ejus insulæ spem reponent, tradam te in foedus populi, in lucem gentium &c.* hæc non in Ecclesiam populumque Judaicum, sed Messiam potius quadra-

re

re eccquis non videt? cum hæc allata omnia nos quasi manu ducant ad illum Doctorem, qui gentes sine lege viventes ad cognitionem veritatis & voluntatis Dei sit deducturus.

§. VII.

SCULTETUS Comment. in h. l. per servum Dei electum Cyrum Persarum Regem intelligit, quia cap. XLV. huj. Prophetæ à Deo ipso his nominibus encomiasticis, Messiæ alias convenientibus, insignitur, quod insuper prolixo inter eum & Messiam parallelismo evincere voluit; cum quo multi alii inter Christianos interpretes consentiunt, ut R. GUALTHERUS in expositione Homilet. ad Jes. XLV. 1. & 13. C. A LAPIDE in Comment. ad eund. l. SASBOUTIUS ad Jes. XLI. 2. ESTIUS ad eund. l. MATTHIAS in Theatro historico in vita Cyri. BAUMANNUS in Analectis Typicis, & omnium recentissimè Clar. CORN. HUGO VONK Professor Amstelodamensis in dissertatione erudita Lugd. Bat. 1732. ventilata de Cyro J. Christi Typo prophetico. Ubi post adducta ex Vate nostro 6. loca, quæ secundum hypothesin suam sensu literali de Cyro, mystico autem de Christo agunt, ad probandam ulterius inter Cyrum & Christum typico propheticam rationem Versum 1. capitis hujus XLII. & v. 6. 7. duo commata vaticinii nostri in medium profert, & cum altera pericopa quâ Cyrus describitur, Cap. nimirum XLIV. 28. XLV, v. 6. nec non v. 13. confert, ostensa inter utrosque ex his locis demonstrabili parallelia, quam ob summam, quâ pollere videtur evidentiam, hic appono.

1. De Christo ita Jehova loquens introducitur: *Ecce servus meus* Jes. XLII. 1. de Cyro: *Pastor meus* XLIV. 28.
2. De Christo: *quem sustento* de Cyro: *cujus prehendi dextram* XLV. 1.
3. De Christo: *electus meus* de Cyro: *unctus meus* ibid.
4. De Christo: *(in quo) sibi complacet anima mea* de Cyro:

ro: *omne beneplacitum meum perficiet* XLIV. 28. conf. & cap. XLVIII. 14.

5. De Christo: *posui Spiritum meum super ipsum* de Cyro: *ego excitavi* illum XLV. 13. conf. 2. Chron. XXXVI. 22. Esræ I. 1. *Excitavit Jehova Spiritum Cyri.*

6. De Christo: *Jus gentibus proferet* de Cyro: *subigam coram eo gentes* XLV. 1.

7. Ita quoque v. 6. 7. ejusd. cap. XLII. (quæ oraculum electum concernunt) de Christo dicitur. *Ego Jehova vocavi te in justitia* de Cyro: *Ego excitavi illum in justitia* XLV. 13.

8. De Christo: *Prehendam manum tuam* de Cyro: *Prehendi dextram ejus* XLV. 1.

9. De Christo: *Custodiam te* de Cyro: *Coram facie tua præibo* v. 2.

10. De Christo: *Dabo te in fœdus populi, in lucem gentium* de Cyro: *accingam te, ut cognoscant ab ortu solis, & ab occasu ejus, quod nihil sit præter me* v. 5. 6.

11. De Christo: *Ad aperiendos oculos cæcos, ad educendum è claustro vinctum* de Cyro: *Ad aperiendum coram ipso valvas &c.* v. 1.

12. De Christo: *Ex carcere habitantes in tenebris* de Cyro: *demittet deportatos meos* XLV. 13.

Non nego, me Dissertationem hanc summâ animi voluptate perlegisse, & demonstratæ à VONKIO ex adductis Esaiæ locis rationi Typico Propheticæ, inter Cyrum & Christum intercedenti, per omnia calculum adjicere, cum indubiis & solidissimis argumentis adstructa sit. Sed cum ille hanc Typicam rationem, & quidem recte, respectu muneris Christi regalis tantummodo admittat, diserteque agnoscat, ex parallelia verborum & phrasium in duobus aut pluribus locis de duabus personis usitata illam constitui non posse, sed alia argumenta & indubia criteria adhuc accedere debere, quæ Typorum autentiam concernunt; imo, quod magis est, genuinè & cordatè confitearur, in adductis ex capite XLII. Esaiæ commatibus non de Cyro sed directè de Christo

sto Mesia agi, in quo cardo demonstrationis meæ versatur, idcirco non cum ipso, sed cum illis propriè ex reliquis modo adductis Interpretibus, Cyrum in prophetia nostra & antecedente eam pericopa quærentibus, disceptationis & refutationis serra reciprocanda venit. Sufficiet hunc in finem observare, hoc eorum assertum non satis cogitatis nititi rationibus, sed talibus potius, quas vel accurata consideratio status Cyri refellere potest: quamvis enim electus Dei servus ad debellandos populi Judaici hostes extiterit Esdr. I. Esa. XLV. inque eo imaginem Christi liberatoris populi sui è manu inimicorum suorum gerere potuerit, tamen tanti nominis mensuram, qualis de subjecto hujus vaticinii exspectanda fuerat, nunquam implevit. Designatur enim hic (ut verbis Cel. VITRINGÆ utar Comment. in h. l. T. II. pag. m. 420.) *nomine servi Jehovæ persona aliqua singularis, à Deo electa, & eximiè dilecta, quæ præstaret Doctorem universalem tam gentium quam Judæorum à mundo exspectatum, quæ doceret modo placido, æquo, rationali, absque pompa & fastu, absque tumultu & seditione, idque ageret maximè, ut animabus afflictis, suæ justitiæ & salutis sitibundis certum, solidumque adferret solatium. Hæccine vero applices ad Cyrum? Feceris ex Imperatore glorioso, forti, bellatore & domitore gentium Doctorem in Scholis & Synagogis officio placidè fungentem, quæ multum differunt.* Illustris GROTIUS qui Christum prophetiarum scopum & implementum verisimum in scriptis prophetarum non satis libenter quærit, Esaiam tanquam Mesiæ typum hic innui opinatur. Agnoscit equidem, hæc verba sublimiori sensu de Christo Mesia capienda esse, cujus figuram Esaias gesserit, omnia tamen ita enervare studet, ut Esaiæ applicari queant, unde in annotat. ad h.l. *Bene* inquit, *cuncta intuenti adparebit, Dei sermonem redire ad Jesaiam, de quo supra cap. XLI. 27. sublimius autem hæc impleta esse in Christo, cujus figuram, quantum potuit, gesit Jesaias.* Cum GROTIO eandem profitentur sententiam multi Hebræorum Magistri. R. ABRAHAM simpliciter eundem vatem subjectum

pronunciat. ABEN-EZRA autumat Prophetæ haud de Messia, sed de se ipso sermonem esse, id quod è v. 6. oraculi nostri imprimis probare conatur, ubi servus ille, de quo in h. cap. agitur, in fœdus populi & lucem gentium positus dicitur. Sed & GROTII aliorumque conjecturas stabili fundamento consistere non posse, attendenti ultro patebit. Esaias populi Judaici vates tantum extitit, nunquam vero exposuit jus gentibus, nec legem ejus insulæ exspectarunt, nunquam in fœdus populi, multo minus in lucem gentium a Deo positus est. Ne alia jam addam Esaiæ minus convenientia.

§. VIII.

Plenis ergo viis merito eorum calcamus tramitem, qui Messiam unicum Doctorem & Servatorem Judæis & gentibus promissum datumque hic designari affirmant, uti Græci quidam Patres JUSTINUS MARTYR in Dialogo cum Tryphone Judæo p. m. 286. CYRILLUS ALEXANDRINUS Oper. Tom. II. p. 136. aliique unà cum parte meliore nostrorum Interpretum. Ex Judæis CHALDÆUS prima huj. cap. verba παραφράζει: הא עבדי משיחא Ecce serservus meus Messias. Cui assensum præbent R. D. KIMCHI & ABARBANEL. commentariis suis in h. l. cujus ultimi Abarbanelis scilicet egregium hac de re testimonium planè intactum dimittere non possum, quando adversus gentis ac religionis suæ proceres veritatem hanc operoso probat commentario, non veritus inter alia in hæc ampla verba erumpere: ונראה שכל אלה החכמים הוכו בסנורים ולא ראו שהכתובים האלה כולם אי אפשר לפרשם כפי הסברה הישרה כיאם על מלך ישראל מבית דוד. *Videntur omnes hi sapientes percussi esse cæcitate, quod non animadverterint, omnia, quæ hic scripta sunt, ritè & orthodoxè exponi non posse, nisi de Rege Israelis ex domo David.* Et, ne quid ambigui relinquatur post paucula interjecta addit: וזהו המשיח *atque hic est Messias.* Quæ eximia cœtero-

teroquin cœci Judæi obſervatio multos ex Chriſtianis ſaltem Interpretibus rubore perfundere deberet, quibus tam inſigne vaticinium aliovorſum torquere religio non eſt. Enimvero Meſſiæ hæc omnia, Meſſiæ, inquam, neque alteri cuicunque competunt; quod pleno aſſenſu ſequentibus probo argumentis?

I. Quia partem hujus prædictionis Pater ipſe cœleſtis de Chriſto filio ſuo expoſuit Matth. III, 17. XVII, 5. & alibi, dicens οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός, ἐν ᾧ εὐδόκησα. *Hic eſt filius meus ille dilectus, in quo complacui.* ubi CAPELLUS quidem putat, alluſionem eſſe ad id, quod habetur Eſ. LXII, 4. verum, cum clarum ſit, nec ipſe diffiteatur, Deum hic alloqui Eccleſiam, minus eſt neceſſarium, ut verba Patris eo reſpicere dicamus; quin potius communem ſententiam amplectendam eſſe exiſtimo, quæ refert ad Eſ. XLII, 1. ubi etiam à Patre Meſſias vocatur בחירי electus meus, quod idem eſt ac in loco Matthæi ἀγαπητὸς dilectus, quod nomen in ſacris priore illo frequentius eſt, ut Marc. I, 4. Luc. III, 22. 1 Cor. X, 5. Col. I, 13. 1 Joh. I, 29. conf. 2 Petr. I, 17.

II. Ipſe Matthæus inſignem hanc pericopam, quæ apud vatem noſtrum v. 1-4. h. cap. extat, Spiritu veritatis ductus Chriſto vero Meſſiæ applicuit, inque eo vaticinium Eſaiæ tum impleri cœpiſſe teſtatur, cui teſtimonio omnino fides habenda eſt, ut in ſequentibus plenius patebit.

III. Simeon plenus ille Deo ejusque ſpiritu ſenex ulnis ſuis incarnatum Servatorem complexus, eum in *lucem & gloriam gentium* datum eſſe prædicit, procul omni dubio ad verba Prophetiæ noſtræ reſpiciens, quæ nunc in eo implementum ſuum ſortiri inciperet. Confer. Eſa. XLIX, 6. LV. 4. 5.

IV. Denique omnia, quæ de ſervo heic producto prædicantur attributa, Meſſiæ & quidem ſoli conveniunt, quod nullus inficiabitur, qui antecedentia oraculum noſtrum

ſtrum omnia, eâ, quâ par eſt, attentione ponderare, volupe ſibi duxerit, quod ex totius orationis παραφράσεως & ſingularium ῥήζεων diligenti conſideratione nunc propius oſtendam.

§. IX.

Cum Deus Pater in Schemate hoc prophetico, ut §. III. indicavi, loquentis partem ſuſtineat, ita Filii ſui adventu Judæos & Gentes ſolatur, ut eum ante oculos eorum quaſi ſiſtat, ipſisque hunc ſervum ſuum futurum eorum Doctorem per excellentia quædam attributa, quibus eorum animi magis confirmentur, notum faciat, hisque nominibus iis commendet הנ עברי אתמך בו בחירי רצתה נפשי נתתי רחי עליו *Ecce*, inquit, *ſervus meus, quem fortiter teneo, electus meus, in quo acquieſcit anima mea, poſui ſpiritum meum ſuper ipſum.* Quæ verba exactè omnia Meſſiæ conveniunt. Ut autem nihil intactum relinquam, ab eâ initium faciam vocula, quâ ſibi apertas Deus aures conciliare ſtudet הן *Ecce* quæ vocula, uti notum eſt, non ſolum rem memorabilem ſignificat, dignamque, ut quantâ fieri poteſt, mentis applicatione attendatur, ſed & hic ſimul novum validumque continet argumentum, ad controverſiæ inter Jehovam fictosque Gentium Deos determinationem. Nimirum exprobraverat iis Jehova Pater Cap. præced. vſ. 21. & ſeq. quod nec futura prædicere, nec cultoribus ſuis bene, nec contemtoribus ægre facere poſſint, ſibi autem omnia hæc in promtu eſſe demonſtraverat. *Ecce*, uti caput hoc incipit, novum vobis exhibeo veriſſimæ aſſertionis argumentum, ſcilicet ſervus ille meus, olim prædictus, nunc iterum delineatus, ſuo tempore manifeſtandus, tantamque populo ſuo ſalutem allaturus. Quem talem norunt, habent, prænunciant, daturi ſuis ſunt dii gentium? *Servus meus* natura Filius meus unigenitus, in forma Dei, imo ipſe Deus benedictus ſuper omnia in ſæcula ſæculorum, ſponſione tamen ſervus non vile mancipium, ſed Legatus honorarius, ſervus voluntarius,

rius, illud Dei consilium, à quo generis humani salus pendet, magnificentissimè, quamvis cum sui ipsius exinanitione, exsequuturus. Servus ille est, quia μορφὴν δούλου *formam servi* assumsit. In mundum venit οὐκ ἦλθε διακονηθῆναι ἀλλὰ διακονῆσαι *non ut alii ipsi ministrarent sed ut ipse aliis ministraret* Matth. XX. 28. Hinc humanà natura assumta lustrans terras & servus haberi, & appellari voluit, ut servo se monstret esse affectu. Ut Patrem se majorem Dominumque suum agnoscit Joh. VII. 29. X. 29. XIV. 28. cui debitum honorem profunda subjectione detulit, obediens ei factus usque ad mortem, mortem autem crucis Phil. II. 7. Es. LIII. 10. 11. quà pœnam vilibus servis & enormi facinore notatis, tantum luendam sustinuit. Uno verbo est ille servus Patris ad ardua negotia destinatus & mittendus, cui dictum est *levius est, quam ut sis mihi servus ad erigendum tribus Jacobi, & custoditos ex Israele reducendum, constitui te in lucem gentium ut sis salus mea usque ad extremitatem terræ*, Es. XLIX. 6. dicit porro Pater de servo suo אתמך בו quod quidam ex Judæorum Doctoribus vertunt *cui innitor*, ut R. D. KIMCHI & ABARBANEL *Parabolicè, inquiunt, sic dicitur, uti quum Rex innititur servo suo, qui fidus est ipsi.* Hàc interpretatione Pater his verbis innueret, se Messiæ tanquam fideli servo suo omnem commissurum potestatem, ut dispenset cuncta tam in coelis quam in terra, prosùs securus, nulla in re mandati fines migraturum; ideoque omnia, quæ fecerit, rata habiturum. Sed melius vertitur per significationem *tenendi, apprehendendi, sustentandi*, quia illa voci hebraicæ in sacris si non perpetua, tamen frequentissima est. Quâ ratione Pater promitteret! *Ecce servus meus, quem fortiter teneo, apprehendo, sustento dextra justitiæ meæ*, cui potentia mea adsum, quem adversus omnem vim hostilem tueor, quem non destituam unquam, nec relinquam solum Joh. VIII. 29. quod & revera Messiæ à Patre suo contigit. Cupiens enim tanquam fidus Dei servus voluntatem Dei facere, nomenque Patris glorificare: *mihi*, inquit, *incubuit* חמתך *excandescentia tua* & omnibus משבריך

fluctibus tuis me adflixisti Ps. LXXXVIII. 8. illum tamen minimè deseruit, firmavit vero & effecit, ut hostes suos glorioſisſimè vinceret. Igitur laudat Patrem Deum & Dominum suum, qui illum erexit, & fortiter tenuit, & non reliquit animam ejus in inferno Ps. XVI. 9. 10. Quod additur nomen בחירי *electus meus* Messiæ etiam apprimè convenit: est enim προεγνωσμένος πρὸ καταβολῆς κόσμου *præcognitus ante jacta mundi fundamenta*, I Petr. I. 20. coll. Proverb. VIII. 22-31. æterno Patris consilio ad hanc dispensationem destinatus, eximius, unus ex millenis, incomparabilis, solus injungendo sibi muneri idoneus. Plura de hoc titulo Messiæ vulgari, eaque docta ac solida legi possunt apud Clar. JOH. HENR. HOTTINGERUM in Dissert. de servo Dei Electo Marp. 1707. recusa Tub. 1717. conf. THESAURUS Theol. Philol. Tom. I. p. 890. Cel. VITRINGA Comment. in h. l. Tom. 2. pag. m. 420-422. nec non GLASSIUS in Christol, & Onomatologia prophetica, p. 432. & 471. Et quidem talis est essetque electus רצתה נפשי *in quo acquiesceret vel placeret sibi anima mea*, in cujus persona, virtutibus, actionibus nihil inveniret Pater, quod non sit gratissimum, in quo & per quem beneplacitum suum in hominibus foret Luc. II. 14. cujus gratia diligeret, quos diligit, Eph. I. 6. veniens enim in mundum, ut faceret beneplacitum Dei secundum Ps. XL. 7. quomodo servando ac fideliter exsequendo mandata Patris sui, aliter fieri posset, quin in ejus amore constanter permaneret Joh. XV. 10. ipseque in opere Filii sui plenè ac planè acquiesceret, quod aliquoties Patrem testatum fuisse legimus Matth. III. 17. XVII. 5. & alibi. Hunc in finem sufficientibus donis instruendus erat, quod verbis hisce porro promittitur. נתתי רוחי עליו *posui vel ponam & dabo spiritum meum super ipsum.* Hæc iterum Messiæ singulari modo priva sunt, utpote de quo & alibi prædictum est, Patrem ipsum inuncturum Spiritu illo sapientiæ & intelligentiæ, consilii & potentiæ, scientiæ & reverentiæ Jehovæ Es. XI. 2. supra consortes suos Ps. XLV. 8. tam abunde sine modo, ac mensura, ut plenitudine ipsius re-

repleantur omnes electi. Joh. I. 16. III. 34. Hoc spiritu Sapientiæ & roboris plenus non solum omnia, quæ in sinu Patris audiverat, manifestare, & populos probe erudire, sed & omnes demandatæ provinciæ partes fideliter implere poterit.

§. X.

Et hoc est quod ulterius Pater de Filio servo suo testatur v. 1. part. post. & v. 2. 3. 4. utpote in quibus muneris, Messiæ concrediti tam forma & ratio, quam modus & finis cum fructibus exinde profluentibus emphaticè describitur. Forma Muneris hujus servi generatim in eo consisteret, *quod judicium Gentibus sit prolaturus* משפט לגוים יוציא Cum phrasis ista, licet cum aliquâ mutatione, sæpius in hac pericopa recurrat, nimirum vs. 3. & 4. utrobique in fine, exegesi quadam brevissimâ illustrabo. Nomen משפט originem suam debet verbo שפט quod varias admittit significationes, quarum maxime generalis & vulgatissima *juris* & *judicii* est, propriè tamen omnem sententiam, principiis æquitatis consentaneam, iisque subnixam, & proinde judicium secundum ejusmodi sententiam prolatum denotat. Recte sic refertur ad verbum legis, quæ continet jura & statuta, secundum quæ homines reguntur, judicantur, absolvuntur & damnantur. Unde & cum תורה vs. 4. huj. cap. confertur. Hac ratione nomen משפט canonem religionis, legem vel doctrinam religionis innuit: legitur quippe de Mose elocutum eum fuisse את כל המשפטים *omnia judicia* Dei, Exod. XXXIV. 3. quæ ibi nil aliud quam canonem religionis Israeliticæ indicare possunt. Eodem quoque sensu in aliis scripturæ locis sumitur ex. gr. Ps. CXIX. sæpius vs. 2. 10. 30. 39. 2 Reg. XVII. 26. & apud vatem nostrum cap. LI. 4. Quare hic singulari emphasi exprimit canonem purioris religionis christianæ, quæ est doctrina Evangelii, optimas justè vivendi regulas præscribens, veramque unice coram Deo valentis justitiæ per Messiam acquirendæ ratio-

nem & modum, quo peccator ejus particeps fieri posſit, pandens; ita ut non opus ſit ſtatuere cum multis Interpretibus per משפט hic exercitium divinæ vindictæ, judiciique ſui executionem per varii generis pœnas Judæis & gentibus propter inobedientiam infligendas innui, cum totus vaticinii hujus in hac pericopa ſcopus nihil aliud quam lene Messiæ ſtudium in munere ſuo imprimis prophetico circa doctrinam evangelicam deſcribere velle videatur. Hanc Messias יוציא *proferet*, quæ verbi forma natales ſuos debet verbo יצא, quod in genere egrediendi habet ſignificationem; cum lege autem ſeu doctrina conſtructum propriè idem exprimit atque Græcorum ἐξέρχεσθαι nimirum è loco prodire, è quo legitime promulgari deberet, & unde decreta auctoritatem mutuantur, ſicut leges prodeunt ex aula Principum, & curia Procerum. Ita in ſcriptis V. T. de publicatione præceptorum, quæ à Regibus fieri ſolet, adhibetur, ex gr. de editis Regum Perſarum mandatis clara hujus rei paſſim exempla leguntur in libris Eſræ, Nehemiæ, Eſtheræ nec non in prophetia Danielis una alteraue vice. Pari modo in N. T. de mandato Imperatoris Auguſti dicitur Luc. II. 1. ἐξῆλθε δόγμα *exiit edictum* à Cæſare AUGUSTO, id eſt, egreſſum eſt ex eo loco, à quo decreta auctoritatem ſuam accipere ſolent. Vox hæc eadem vi & emphaſi pollet in hac pericopa יוציא *egredi faciet* proferet Messias משפט *Jus* hoc eſt doctrinam Evangelii è loco, quo lex Domini egredi debebat, & quidem לגוים *gentibus*, populis ab ortu ad occaſum ſolis in omnibus mundi plagis diſperſis, & hactenus vera ſummi Numinis cognitione & communione orbatis, de quibus in ipsâ oraculi noſtri expoſitione fuſius agendi occaſionem habebo; quod cum ſub œconomia veteri illis contingere non licuit, neceſſario à Messia ejusque Apoſtolis ſub N. T. præſtari debuit, uti Evangelium implementi abunde ſatis docet.

§. XI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862227305/phys_0032
DFG

§. XI.

Quod generatim Pater de Mesſia ſervo ſuo dilecto, & muneris ſui forma prædixerat, id ſpecialiter extendit reſpectu modi, quo illud adminiſtraturus eſſet vſ. 2. & 3. utpote in quibus egregia Mesſiæ attributa & præclaras deſcribit virtutes, quas in functione muneris glorioſisſime & fulgentisſime manifeſtaret, patientiam nimirum humilitatem, manſuetudinem, æquitatem & συμπαθειαν cum veritate & fidelitate conjunctam, dicens primo loco: לא יצעק ולא ישא ולא ישמיע בחוץ קולו *Non vociferabitur vel clamabit, non efferet ſe vel attollet vocem ſuam, nec foris faciet audire vocem ſuam.* Quæ Matthæus vertit Οὐκ ἐρίσει, οὐδὲ κραυγάσει, οὐδὲ ἀκούσει τὶς ἐν ταῖς πλατείαις τὴν φωνὴν αὐτοῦ, cap. XII. 19. *non litigabit neque clamabit, neque audiet quis in plateis vocem ejus.* Hæc quoque ex aſſe nemini niſi Mesſiæ conveniunt. Nunquam enim, uti ex hiſtoria N. T. evangelica patet, in quâ ejus βιογραφία continetur *clamitavit aut vociferatus eſt* contendendo, aut tyrannicè imperando, ſed leni ſermone, qui mitis ingenii character eſt, manſuetudinem & patientiam docuit. Nunquam *extulit* vel *ſemet ipſum*, ſuperbè & arroganter agendo, aut *vocem ſuam* facta ſua ebuccinando, ſed potius tanquam ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ, Matth. XI, 29. in omnibus verbis & factis ſuis mittentis ſe Patris gloriam quæſivit Joh. VII. 17. 18. Nunquam *foris audire fecit vocem ſuam* turmas cogendo, cœtum convocando, aut plebem concitando, ſectatorum frequentia glorians, ſed potius ſolitudinis amans, quantum demandati ſibi muneris ratio patiebatur hominum conſpectum fugiendo, nullibi docens, niſi ubi cuivis modeſto loqui licet. Pacem, quam comparaturus erat, annuntiavit, idque negotii proſequutus eſt in genere docendi plano & populari. Quando cum hoſtibus agebat, non fuit verſatus in declamationibus, & rixis contentionis plenis, nil de ſe magnificum jactavit, ſed hominibus curâ ſua ſanitati reſtitutis interminavit, ne cuiquam ea de re verba facerent. Docuit porro in

ordinariis locis, Templis, Synagogis vel domi in locis a conventu hominum remotioribus, ac non fuit in causam suam clamosus. *Sustinuit enim à peccatoribus* εἰς αὐτὸν ἀντιλογίαν *contra se contradictionem*, Hebr. XII, 3. λοιδορούμενος οὐκ ἀντελοιδόρει *cum convitiis afficeretur, non vicissim convitiabatur*, 1 Petr. II. 23. Dum altercari in animum induxissent Pharisæi, sæpe Spiritu suo ingemuit, illis relictis Marc. VII. 24. & quæ hujus generis plura sunt.

§. XII.

Pergit Pater in describendo Filii sui munere, ad quod obeundum vocaturus esset eum, hisce verbis v. 3. notatis? קנה רצוץ לא ישבור ופשתה כהה לא יכבנה לאמת יוציא משפט *Calamum titubantem aut* secundum TREMELLIUM & JUNIUM *arundinem quassatam non franget, & ellychnium fumigans non extinguet.* Locutionem hanc esse adagialem, quæ miro modo alicujus lenitatem & mansuetudinem explicet, plurimi quidem Interpretes testantur, sed non omnes, unde derivanda sit, easdem fovent opiniones, quibus recensendis omnibus immorari non possum, quia nimis me à scopo averteret. Cel. DASSOVIUS Dissert. 3. de Emphasi sacrarum vocum Pag. m. 103. JOSEPHO KARONE in Comment. ad MAIMONIDEM ut videtur, facem ei prælucente, per calamum aut arundinem intelligit arundines in Festo Tabernaculorum usitatas, quibus Judæi tametsi fractis in tabernaculi constitutione utebantur. Ellychnium vel linum fumigans accipit de lychnuchi sacri lampadibus, quæ fumigantes & extinctioni proximæ, minimè extinguebantur. Licet autem quoad posteriorem hujus parœmiæ Partem sententiæ viri Doctissimi calculum adjiciam, tamen quoàd priorem partem a suâ ab arundine petita allusione discedo. Scilicet cum arundo aut calamus in his verbis ellychnio seu lino jungantur, quid impedit primam totius hujus diverbii originem in lychnucho Tabernaculi & Templi derivare, cùm nihil sit, quod nos inter se tam bel-

lè

lè & pulchrè nexa jubeat disjungere. Lychnuchus totus ex auro confectus constabat basi, è cujus convexâ superfine ulterius in altum ascendebat stipes seu scapus, quem S. Scriptura קנה nominat. Ex utroque ejus latere tres prodibant rami alii, qui cum stipite medio 7. lychnos constituebant totidem lucernis instructos, in quibus oleo madidum linum e sacerdotum vestibus detritis, quæ lino tenuissimo conflabant, factum, ardere solebat, Cum igitur in hoc lychnucho tam קנה calamus vel arundo quam פשתה linum reperiatur, plane indubitatum esse mihi videtur, voce hac קנה non ad arundines tabernaculorum, sed potius ad hunc medium stipitem lychnuchi respici, quod propius ex ipso S. hujus vasis usu in cultu Levitico V. T. & officiis sacerdotum circa hoc sedula cûra observandis eluceſcere arbitor. Sermo quidem est in hac paroemia, ut hoc in antecessum moneam, de calamo *contrito* & *quassato*, quod cum lychnucho opere aureo & solido non convenire videtur, sed cum verbum רצץ non semper totalem rei contritionem aut fracturam innuat, sed interdum quoque talem, quæ fracturam non importat, atque adeo metaphoricè, status alicujus imminutionem, rei alicujus in situ suo factam mutationem per quandam quasi subsultationem aut titubationem, qualiter se motitabant gemelli in utero Rebeccæ, cum inter se collidebant, Gen. XXV. 22. Quam vocis significationem evincit cognati verbi arabici رضض notio, quod docente GIGGEIO Tom. II. p. 417. denotat *succussavit, acriter saltavit vel saltitavit: hinc quemcumque rei statum, quo res mutatur, inque suo situ manere non permittitur, adeoque titubat* verbum רצץ significat, & commodissime lychnucho ejusque scapo aut stipiti applicari potest. Scilicet Sacerdotis sub. V. œconomia partes inter alia fuerant ad lychnuchum ejusque oleum, ne forte deficeret, & sic extingueretur, attendere: quando tempus aderat lucernam accendendi, ac circa candelabrum seria occupabatur curâ, omnem impendere debebat operam, docentibus Hebræorum magistris, ne lychnuchus cum basi & stipite suo titubaret aut saliret, eoque nomine pro-

24.
25.
26.
27.
28.
33.
29.
32.
30.
31.

proximus impingeret in parietem, aut plane prosterneretur & sic frangeret, quod licet alias è solido constiterit opere, facile nihilominus evenire potuisset, si titubans in parietem sancti impegisset ob calamorum tenuium qualitatem & situm. Sacerdos itaque titubantem solerti industria sustentans lychnuchum ejusque scapum, ne ruinam minaretur, aut frangeretur, recte dici poterat *arundinem quassatam vel calamum contritum aut titubantem non frangere.* Huic קנה calamo conjungitur alterà proverbii parte פשתה *linum* idque כהה *hebescens aut fumigans.* Nomen Hebræum per linum è genio linguæ est exponendum, quia ellychnium ex lino parabatur, & hoc in lychnucho ardebat oleo madefactum. Ellychnium hoc flamma pervigili debebat noctes diesque coram facie Dei lucere. Si eveniisse interea contigisset, ut oleo jam jam deficiente fuerit כהה *hebescens fumigans* sacerdoti incumbebat per novam olei infusionem sedulâ semper cura prospicere, ne unquam extingueretur flamma lychnuchi ardens & lucens, hinc de illo in veritate dici poterat, etiam *linum fumigans non extinguet.* Si nunc totam hanc adagialem locutionem in sensu mystico secundum πνευματικὴν δήλωσιν capiamus, quid aliud innuere potest quam benignam Messiæ circa Ecclesiâm populumque suum curam in conservando gratiæ statu, summâ cum συμπαθείᾳ & miti lenitate conjunctam, quam in obeundo munere suo impensurus erat. Lychnuchum enim auro solido confectum cum stipite suo variis floribus ornato, & lucernis oleo plenis semper ardentibus & lucentibus in templo, imaginem gessisse Ecclesiæ Dei imprimis sub N. T. verorumque in illa credentium membrorum, prout sanguine mediatoris tanquam lavacro regenerationis, & illuminante ac sanctificante effusi super illa largiter Spiritus, flaminis & olei sacri gratia, sunt ad instar splendentis cujusdam lucernæ, lucentis in obscuro loco φως τῦ κόσμῦ *lux mundi* quorum bona opera, quibus repleta sunt ad laudem Dei, coram hominibus splendent, & tanquam flores gratum odorem spargunt, aurum fidei pretiosum in ipsis tentationum procellis divina custodia

ſtodia perdurans, flamma divini amoris vehementisſime accenſa, fortior morte, durior inferno aut ſepulchro, cujus prunas ne flumina quidem inundare, & aquarum copia extinguere valent, ſanctitas vitæ, qua tanquam Regis filia incedit, omni modo pulchra & decora: non opus eſt prolixè demonſtrare, cum hac in re nobis otia fecerint Theologiæ Typicæ ſeduli ruſpatores Cel. LAMPIUS in myſterio fœderis gratiæ Part. III. Tom. 2. pag. 1301. & ſeq. BIERMANNUS in Moſe & Chriſto, SCHLICHTERUS in tractatu de Lychnucho S. ejusque myſterio. Hoc non obſtante inveniuntur nihilominus interdum inter Eccleſiæ membra nonnulli lychnucho ejusque calamo aut ſtipiti titubanti, ac ellychnio fumiganti ſimiles. Ita enim aliquando ſtatus vitæ ſpiritualis, aurum fidei, flamma divini amoris, lumen ſanctitatis, oleum lætitiæ in quibusdam fidelibus imminuitur, ut ſi illis tempeſtive non ſuccurratur, Spirituali morti propinquent. Unde illi vocantur *quaſſati ſpiritu* inſtar titubantium trepidantes ad verbum Jehovæ Eſ. LXVI. 2. Parvuli Zach. XIII. 7. lugentes Zionis, ambulantes in tenebris, quibus nullus eſt ſplendor Eſ. L. 10. LI. 3. quorum fides eſt inſtar ſinapis, & amor refrigeſcit Matth. XVII. 20. XXIV. 12. Sicuti igitur olim ſacerdotes ſedulò invigilare debebant, ne lychnuchus ejusque calamus aut ſcapus titubans impingendo in parietem, & ſic ruinam minitando proſterneretur aut frangeretur, ac linum fumigans quod attinet, ne oleo & igne diligenter adpoſito extingueretur: Simili ratione hâc parœmia in ſolatium Eccleſiæ prædicitur, Meſſiam ſervum Dei electum in adminiſtratione muneris ſui verſaturum, tanquam mitem ac blandum Prophetam, ut miſericordem & conſummatum Pontificem, ægros ſanaturum, fractosque animo pœnitentes erecturum, ſpiritualem eorum vitam magis excitaturum, ſcintillam gratiæ fidei, amoris, & ſanctitatis in iis gliſcentem aliturum ac auctum, corda eorum oleo Spiritus Sancti impleturum, eosque ut quaquaverſum lucem veris Eccleſiæ membris dignam de ſe ſpargere poſſint, adapturum, & ita ſe omnibus eo-

rumque ſtatui accommodaturum, ut circa eos ſacerdotis optimi munus omni ex parte impleret, quod eum exacte feciſſe diebus carnis ſuæ Evangeliſtæ imprimis Matthæus cap. XII. v. 15-20. allegando hoc proverbium abunde oſtendunt. Quodſi iſta non arrideat ſententia, unicuique ſuam ac aliam eligendi opinionem eâ, quâ ego utor, libertate, libenter concedo. Plura cæterum, quæ tam ad ulteriorem hujus parœmiæ explicationem, quam ad varias Doctorum virorum circa eam ſententias ſpectant, ſuppeditant Commentatores in h. l. imprimis Cel. VITRINGA nec non WOLFIUS in Curis Criticis ad Matth XII. v. 17-20. Additur denique in deſcriptâ muneris hujus ſervi Dei electi adminiſtratione modus in fine verſus 3. לאמת יוציא משפט *in vel ad veritatem proferet judicium*, *vel doctrinam Evangelii*. De ſenſu phraſis יוציא משפט §. X. pluribus egi, quæ hîc etiam locum habent, & memoria repetenda ſunt. Scilicet prolatio judicii indicat egreſſionem legis ſive Doctrinæ Evangelicæ è Zione ſub œconomia N. T. a mediatore ejus tanquam ſummo Propheta promulgandæ, & explicandæ, ut populus ejus veram ſalutis viam in communione Dei cognoſcere & calcare poſſit. Hoc facturus eſſet Meſſias לאמת *in vel ad veritatem*. Mattheus explicat. l. c. εἰς νῖκος *ad victoriam*. Sive ergo vertamus verba cum CALVINO & PISCATORE *cum veritate*, ſive in, ad, vel ſecundum veritatem, & conferamus cum expoſitione Evangeliſtæ, enunciatum optimam hanc admittet explicationem לאמת *in veritate proferet jus* vel doctrinam evangelii, hoc eſt, ut apud vatem noſtrum Cap. XI. 3. prædicitur: *Non ſecundum adſpectum oculorum judicabit*, *nec ſecundum auditum aurium redarguet*, ושפט בצדק דלים *Sed judicabit in juſtitia tenues*, miſeris peccatoribus veram ſalutis viam, ad Dei communionem verè ducentem, ſincerè ac dexterrimè indicando & docendo, uti ipſe in carne manifeſtatus ad patiendum voluntariè ſe ſiſtens coram judice Pilato teſtatur ἐγὼ εἰς τοῦτο γεγέννημαι, καὶ εἰς τοῦτο ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον, ἵνα μαρτυρήσω τῇ ἀληθείᾳ. *Ego ad hoc natus ſum, & veni in mundum, ut teſtimonium*

monium dem veritati. Joh. XVIII. 37. imo ipsi ejus inimici aliquoties confiteri cogebantur? Διδάσκαλε οἴδαμεν ὅτι ἀληθὴς εἶ, καὶ τὴν ὁδὸν τοῦ θεοῦ ἐν ἀληθείᾳ διδάσκεις, καὶ οὐ μέλει σοι περὶ οὐδενός· οὐ γὰρ βλέπεις εἰς πρόσωπον ἀνθρώπων. *Magister scimus te veracem esse, & viam Dei in veritate docere, nec quemquam curare, non enim respicis ad personam hominum.* Præterea Pharisæorum doctrina erat detestanda hypocrisis, justitia operum turgens, imposuerat humeris hominum Φορτία βαρέα καὶ δυσβάστακτα *onera gravia & intolerabilia*, Matth. XXIII. 1-6. Doctrina autem Christi tota rationalis & spiritualis erit, evertens justitiam operum; & *veritas Evangelii, veritas Messiæ* erit doctrina puræ & meræ gratiæ ac veritatis, respectus omnes carnales excludens. Hanc ille proferet εἰς νῖκος: quæ phrasis idem notare videtur, quod Esaias cap. II. 4. dicit ושפט מן הגוים וחוכיח לעמים רבים *Et judicabit inter gentes, & faciet convictionem populis magnis* hoc est, ut solidè Cel. VITRINGA ad h. l. notavit: *eriget regnum inter gentes*, dabit gentibus legem regni & judicii, quæ est doctrina Evangelii, demonstrabitque iis illius suæ legis rationalitatem, umbras V. T. retegendo, legem veterem abolendo, ad conscientiam omnium suam doctrinam commendando, demonstrando, ad convictionem, imo conversionem multarum animarum. Veritatis Evangelicæ vis ad sui assensum animos multorum non tâm alliceret, quam pertraheret, atque sic Evangelii

Lætis, volitat victoria pennis.

§. XIII.

Egregiam hanc muneris Messiæ tam ardui administrationem, eximiis ejus qualitatibus demonstrandam, non potest non felicissimus concomitari eventus, aut finis, saluberrimique tam in proprium, quam populi sui commodum & salutem provenire fructus, quod à Patre ejus commate 4. his indicatur verbis: לא יכהה ולא ירוץ עד ישים בארץ משפט ולתורתו איים יחלו *Et non hebetabitur nec frange-*

tur, donec in terra posuerit judicium, & in legem ejus insulæ sperabunt. Quidam interpretes verba hæc proximè antecedenti commati per particulam אשר jungunt vertendo *in veritate proferet jus, quod non hebescet, neque quassabitur.* Quibus accedere non possum, quia utraque commata non solum per accentus sufficienter distinguuntur, sed et relativum אשר sine urgente necessitatè hic inseritur; ne dicam expositionem hanc *judicium non extinguetur, non quassabitur, donec judicium disposuerit* minus duram & coactam esse. Verbum כהה aliquando in conjugatione kal reperitur, ut Deut. XXXIV. 7. Job. XVII. 7. Zach. XI. 17. aliquando ἀνωμαλῶς occurrit ut Genes. XXVII. 1. quibus in locis de oculo caligante et obscurato usurpatur, qua ratione in sensu activo plerumque sumi & verti solet *non hebescet* vel non *caligabit*, sed cum & passivam induat formam, eaque præferenda esse videatur, ut cum sequenti phrasi & toto emblemate aut typo, ad quem allusio fit, eo magis conspiret, hinc vertere mallem *non hebetabitur.* Iungitur huic aliud verbum in phrasi ולא ירוץ quam plurimi Interpretes AQVILA & THEODOTION. COCCEJUS. VARENIUS vertunt. *Et non curret* verbi origine à radice רוץ currendi significationem habente, petita, ita, ut hoc pacto de Messia prædiceretur, non præceps fugiet, territus hostium potentia, sed contra animosior ibit. Cum vero hæc interpretatio cum præcedenti commate non congruat, ubi mentio fit רצוץ calami & כהה Ellychnii, nexusque orationis nos clare doceat, similitudinem inter יכהה & ירוץ hujus commatis, atque רצוץ & כהה præcedentis versus reperiri, hinc analogia textus suadere videtur, ut verbum ירוץ à radice רצץ derivetur, quæ denotat quassare, frangere. Melius itaque vertitur, & quidem simili jure, ac verbum יכהה, forma ac sensu passivo, per *quassabitur, confringetur*, manifestâ iterum, ut opinor, allusione ad lychnuchum aureum ejusque ellychnium, dicitur ergo hîc de Messia *non hebetabitur neque frangetur.* Quod, quid sensu mystico innui velit, statim subjungam, quando prius reliqua hujus dictionis verba

ba brevibus perluſtravero, quæ tempus muneris a ſervatore obeundi & abſolvendi attinent, his contenta verbis: עד ישים בארץ משפט *usque dum vel donec poſuerit aut diſpoſuerit in terra judicium* משפט judicium, cum & hic loci nihil aliud denotet quam Evangelium ſive doctrinam evangelii, ut §. X. & XI. fuſius oſtenſum eſt, ita ponere & diſponere judicium, non tantum promulgationem & manifeſtationem hujus legis e Zione prodeuntis, ſed & ulteriorem ejus à Meſſia ſtabilitionem innuit, prouti tam ipſe quam apoſtoli ejus in ulteriori legis explicatione, & indagando vero ejus ſenſu, in oſtendendo ex ea mediatorem & veram ſalutis viam, cum officiis hunc in finem à peccatore obſervandis verſaturi eſſent, hoc autem primo fieret *in terra.* Per quam hic non totum telluris globum, nec illam globi terreſtris partem, quæ aliâs arida appellari ſolet, intelligo, ſed terram Canaanis, Palæſtinam à populo Israelitico habitatam, quæ, uti notum, non raro in ſcriptis Prophetarum κατ ἐξοχὴν ארץ vocatur Pſ. XXIV. & XXV. paſſim. Hæc terra Canaanis duodecim tribuum, à terra reliquarum gentium diſtincta, prouti jamdudum ſemen verbi divini tanquam ſibi creditum nutriebat, ita à Deo deſtinata erat, ut Immanuel in eâ naſceretur, unde terra Immanuelis audit Eſ. VII. & ipſe in medio filiæ Zionis appareret & habitaret Zach. II. & IX. & quidem eum in finem, ut in illâ *judicium diſponeret* hoc eſt veritatem evangelicam annunciaret, à falſis doctorum interpretationibus purgaret, & in clariori luce poneret, oſtendendo ſe eſſe legis finem & implementum, ut omnis in eum credens juſtificetur ad ſalutem æternam, & ſic cum lege diſpoſita in terra Iſraelis, fundamenta quoque regni ſui ſpiritualis ibi felicisſime poni poſſint. Donec autem hæc omnia peracta fuerint, (quod particula עד *donec* ſæpe determinatum tempus, vel terminum, ad quem denotans innuit) nec prius nec ſerius, Meſſias tanquam verus Lychnuchi antitypus *neque hebetabitur neque frangetur.* Quod ſenſu ſtrictiori Eccleſiæ, id eminentiori plerumque Capiti ejus Meſſiæ competit. Meſſias itaque verus Lych-

nuchus est per Lychnuchum Tabernaculi & templi adumbratus, & quidem aureus dignitate Regia Psal. XXI. 4. Cant. V. 10. aureoque meritorum pretio illustris, ad instar lychnuchi septem lampadibus fulgentis habens ἑπτὰ πνεύματα τοῦ θεοῦ *septem Spiritus Dei* emissos in omnem terram Apoc. I. 13. IV. 5. qui quiescunt super Ecclesiam. Ab hoc oleo, spiritu nempe ejus, derivanda lux spiritualis, in qua fideles vident non solum veram lucem Ps. XXXVI. 10. sed & τίς ἐστιν ἡ ἐλπὶς τῆς κλήσεως αὐτοῦ *quæ sit spes vocationis ejus* Ephes. I. 17. 18. Hic ergo Lychnuchus Messias Jesus Christus, ut Pater ejus hîc prædicit, nequaquam extinguetur & caliginem mortis experiretur, antequam in terra Israelis Regnum suum, cujus præcipuum insigne est lumen Evangelii, illuminaverit, eoque nomine statuminaverit. Hanc explicationem non solum Lychnuchi symbolum postulat, sed & tenebrarum emblematica ratio confirmat. Tenebræ in S. Scriptura imaginem gerunt sepulchri & status mortis Job. X. 21. 22. etiam respectu Messiæ Ps. LXXXVIII. 7. 13. quassari, conteri pariter violentam denotat mortem Ezech. XXXII. 28. ac ubiquocunque verbo frangi, conteri dicitur Messias, ubique mors ejus intelligitur Es. LIII. 3-12. Non ergo eo usque violenta morte extinguendus ac frangendus erat Messias, donec muneri Prophetico & Sacerdotali in terra Canaanis secundum Patris decretum finem imponeret, & Evangelium mox per Apostolos & alios Ministros annunciandum in terra disponeret, cujus rei implementum historia Evangelica de Messia Christo abunde satis indicat. Licet autem Messias hoc pacto violentâ morte frangi debuerit, non tamen obscuratio ejus in lugubri sepulchro, indicium erat fracti ejus animi, quasi muneri prophetico impar ei succubuisset, sed potius erat monumentum certissimum immobilis ejus constantiæ. Veritatem enim doctrinæ, quam profitebatur, non modo morte obsignaturus, sed simul per eam triumphum acturus esset in Diabolum, mortem, gehennam, omnesque suos & suorum hostes 1. Cor. XV. 25. 26. imo doctrina hæc longe lateque lumen suum sparsura esset,

ad

ad illuminandos alios populos & nationes ab ortu usque ad occasum solis se extendentes, qui saluberrimi muneris Messiæ fructus quoque heic loci in fine indicantur his verbis: *Et in legem ejus Insulæ sperabunt*: ולתורתו איים יחלו de voce תורה ejusque derivatione hic non animus est pluribus agere, ne nimis prolixus esse videar, cum hoc ab aliis multis factum sit. Sufficiet animadvertere, idem heic exprimere, quam משפט judicium legem scilicet Evangelii, doctrinam veritatis evangelii, sub N. T. è Zione prodituram, præcepta exactissimæ sanctitatis, doctrinam exquisitissimæ sapientiæ in Christo, monstrationem viæ, quâ ad cœlum itur, continentem. *In hanc legem Insulæ Sperabunt*, per quas intelliguntur homines, illam terræ partem incolentes, quæ, qua obversa est terræ Israelis Canaani, insulis scatet, uno verbo, gentes, quarum imaginem Insulæ in S. Scriptura gerere solent ex. gr. Ps. XCVII. v. 1. Jes. XLII. 10. 12. veram Dei & Christi notitiam hactenus nondum edoctæ, ut deinceps in ipsâ oraculi nostri elucidatione propius elucescet. Insulæ hæ in hanc legem יחלו sperabunt sive exspectationem habebunt, eam, postquam aliquid de illa inaudiverunt, avidè operientur, allatam statim alacriter arripient, & in eâ per fidem recepta omnem spem, consolationem ac salutem suam collocabunt, quod quemadmodum impletum sit, scripta N. T. imprimis Apostolorum fusius docent, utpote in quibus commemoratur, Apostolos post ascensionem Servatoris vi accepti mandati profectos in orbem habitabilem docuisse omnes gentes, & Paulum imprimis tanquam vas Dei electum multas permeasse insulas, omniaque Evangelio Christi ab Hierosolyma usque ad Illyricum impleviſſe, ex quo multæ inter gentes Jesu Christo enatæ & plantatæ sunt Ecclesiæ, uti scripta Apostolorum ad illos exarata abunde satis ostendunt.

§. XIV.

Cum itaque ex omnibus hisce, quæ circa antecedentem

tem oraculum noſtrum, pericopam hactenus diſputata ſunt, luce meridiana clarius appareat, Meſiam unicum ejus ſubjectum concernere, omniaque in eâ occurrentia prædicata nemini alio, niſi huic electo Patris ſervo competere, idem neceſſario judicium de commatibus 6. & 7. quæ materiam diſſertationis meæ conſtituunt, ferendum eſſe, nemo, ut opinor, inficias ibit, qui arctisſimum, quo commata hæc cum antecedenti pericopa conjuncta ſunt, nexum æqua mentis lance mecum ponderabit. Inveniet enim ſtatim, Patrem, quem propheta loquentem introducit, ſermonem ſuum de mittendo ſervo ſuo electo ad perficienda ardua negotia, adhuc continuare, adeoque de uno eodemque ſubjecto agere, hac tamen cum diſcrepantia, ut, cum antea de illo in tertiâ, nunc ad ipſum in ſecunda perſona loquatur, oratione ad Filium directâ, quæ in palmariis capitibus ab antecedente pericopa non diſtincta, per conſequens etiam cum eâ arctisſimè cohærere cenſeri debet, imo non aliter niſi brevisſimâ interjectione aut præfatione v. 5. quâ Pater (quibusdam cum COCCEJO hæc verba Eſaiæ tribuentibus) ſe ut omnipotentem omnium rerum Creatorem deſcripſerat, adeoque ſufficienti robore & potentia inſtructum, ea, quæ promiſerat & porro effecturus eſſet, actu ipſo ſiſtendi & implendi, ab eâ ſeparata eſt. Quem enim Pater ab initio hujus cap. ut Filium ſuum dilectisſimum, ſervum ſuum electum in tempore mittendum, ad obeunda Doctoris & Mediatoris munera populo deſcripſerat & commendaverat, nunc mutatâ dictionis figura directè alloquitur in oraculo noſtro, in quo non ſolum Filio finem miſſionis ſuæ in carne, & ſaluberrimos ejus fructus in ſalutem gentium æque ac judæorum propius explicat, omniaque in æterno pacis conſiiio decreta in memoriam quaſi revocat, ſed & ipſum erigendo & animando certum facit de auxilio ſuo, quod ex conſilio gratiæ, quo illum ut Doctorem & Salvatorem hominum ex Judæis & gentibus deſtinaverat, ipſi absque dubitatione præſtaret donec omnem Patris voluntatem impleret. Ut autem eo majorem ei animum adderet,

deret, inque fiducia auxilii obtinendi confirmaret, Pater se antea v. 5. emphaticâ præfatione ei proponit ut אל Deum fortem, validum ac potentem ad ipsum auxilio suo sublevandum & corroborandum, ut adversus Satanæ & infernalis potestatis tentationes, & reliquas varii generis gravissimas perpessiones immobilis persisteret. Porro se describit Pater, ut fontem & Creatorem omnium rerum in toto mundo existentium pergens: *Sic ait Deus fortis Jehova, qui cœlos creavit, eosque extendit, qui constipat tellurem, & proventus ejus producit, qui halitum dat populo in eâ agenti, & spiritum in eâ ambulantibus.* Quod iterum non sine sonticâ causa fieri manifestum est, nimirum, ut Filio suo non solum fortissimè stringentia auxilii ab ipso exspectandi documenta exhiberet, sed & de indubio decreti & promissionum suarum implemento securum redderet, cum ejus potentia infinita sit ac irresistibilis, utpote quam in creatione omnium rerum ex nihilo, mero voluntatis nutu ea, quæ non sunt, vocando ut existerent, singulari ratione demonstraverat. Hac autem nervosissimâ præfatione præmissâ, ipsum in prophetia nostrâ Filium suum propius & directè alloquitur, contenta æterni pacis consilii de vocatione & missione suâ in tempore plenitudinis ad perficiendum Mediatoris munus in salutem gentium & Judæorum explicando, animumque ejus promissione auxilii erigendo & confirmando. Quicunque hæc omnia ritè pensitat, non potest non de arctissima totius vaticinii in 7. commatibus prioribus hujus cap. occurrentis cohærentia & unico subjecto in eo latente, planè, ut mihi quidem videtur & plenè convinci. Evictâ autem evidentissimis hactenus, & solidissimis, ut puto, argumentis veritate hac, Messiam unicum hujus pericopæ, imo totius capitis constituere subjectum, eo felicius jam ad ipsam oraculi nostri expositionem progredi, verusque ejus sensus secundum mentem spiritus Sancti facili negotio erui potest. Interea brevem ei, sequentem in modum, tabulam hanc analyticam præmittendam esse consul-

tius duxi, cum ad ejus manuductionem & Cynosuram totum explicationis filum pertexere animus sit.

§. XV.

Discutienda propius in oraculo nostro veniunt sequentia.

I. Legitima Messiæ ad magni momenti negotia vocatio, in quâ cardo totius vaticinii versatur, ubi.

א. distinctè considerari potest & debet Illustrium Personarum par, quod arduum vocationis negotium concernit, scilicet.

α. Persona vocans, quæ Pater est, ut in antecedentibus abunde satis demonstratum fuit, qui duabus exprimitur vocibus.

a. Pronomine relativo אני *Ego.*

b. Nomine summo Deo tantum competente יהוה *Jehova.*

β. Persona vocata, quæ implicitè latet in voce relativa *te* Messiam indigitante, de cujus persona, munere, qualitatibus & officiis in antecedenti pericopa fusius egerat propheta, & in hoc oraculo nostro ulterius prosequitur.

ב. Vocatio ipsa, quæ Messiæ à Patre suo contingeret, quæ

α. generaliter describitur verbo קראתיך *vocavi te*

β. Specialiter ratione modi & formæ בצדק *in justitia.*

II. Corroboratio Messiæ in hoc vocationis negotio à Patre promissa & exspectanda, quæ duplici exprimitur phrasi.

א. ואחזק בידך *& prehendam manum tuam.*

ב. ואצרך *& custodiam te*

III. Muneris præstantissimi descriptio, ad quod Messias à Patre per vocationem suam destinatus erat, ubi

א. ipsa Messiæ ad munus hoc evectio generatim his proponitur verbis: ואתנך *& dabo te*

ב. Speciatim propius explicatur singulari ratione ad Judæos & Gentes

α. re-

α. respectu Judæorum לברית עם *in fœdus populi.*
β. respectu Gentium לאור גוים *in lucem gentium.*

IV. Finis, effecta, & fructus saluberrimi hujus muneris, ad quod Messias Paterna vocatione exaltandus erat, subjunguntur, nimirum

א. in genere respectu Judæorum & Gentium simul sumtorum, quorum
α. status miserrimus indicatur per voces עורות עינים *oculos cæcos*
β. liberatio ex eo à Messia hunc in finem vocato לפקח *ad aperiendum*

ב. in specie respectu harum nationum abstractè consideratarum, & quidem
α. relatione ad populum Judaicum describitur
a. status miserrimus ממסגר אסיר *è carcere vinctum*
b. liberatio ex eo à Messia לחוציא *ad educendum*
β. relatione ad Gentiles, quorum iterum
a. status miserrimus depingitur his verbis: מבית כלא ישבי חשך *è domo claustri sedentes in tenebris*
b, liberatio ex eo, per ellypsin directè non docetur, sed per repetitionem verbi לחוציא *ad educendum* suppleri debet.

V. Implementum vaticinii demonstrat, contenta ejus in nemine alio, quam in Messia Jesu Christo Servatore nostro veritatem suam unicè & plenariè obtinuisse.

§. XVI.

Quam magnum & momentosum sit vocationis negotium, in quâ cardo totius vaticinii nostri versatur, inter alia ex propiori consideratione duarum Illustrium Personarum, quæ illam executioni darent, quam clarissimè conspici, & firmiter concludi potest. Distinctim illæ, licet implicitè sub pronominibus relativis latentes à Spiritu Sancto per Prophetam indicantur, inter quas merito primum attentionis nostræ locum obtinet Persona vocans, quæ duabus

proponitur vocibus partim pronomine personali אני *Ego* partim nomine summæ Deitati privo יהוה Jehova. Cum pronomen personale relativum אני *Ego* æque ac alia omnia certam relationem personæ aut respectum ejus ad antecedentia, in quibus de eâ sermo fuit, præsupponat, lectoremque eò ableget, hac voce primo innuitur, Personam vocantem esse eandem, quæ in antecedentibus sermonem miscuerat, & satis evidentibus characteribus sibi tantum propriis se satis superque manifestaverat & distinxerat à Filio suo dilectissimo, servo suo electo, quem fortiter tenendo superabundantibus Spiritus Sancti donis unctura & instructura esset ad arduum salutis negotium, cui eum per vocationem destinaverat, feliciter perficiendum; quæ omnia simul sumta, cum talia concernant opera, quæ Patri primæ Deitatis personæ, ut Fonti atque auctori omnis gratiæ singulari ratione propria sunt, confirmante passim S. codice, clare satis & perspicue docent, Patrem quoque hac voce *Ego* se conspiciendum quasi præbere Filio suo, novisque promissionibus in oraculo nostro contentis, oratione ad ipsum directe conversâ, fidem & fiduciam suam corroborare. Præterea alia adhuc eaque major in hac voce relativa latet emphasis. Quemadmodum enim non male ait DONATUS observante JOH. MARTINIO in Lex. philolog. voce *Ego*: *Semper gravis est inceptio orationis, quæ exordium sumit à pronomine Ego*: Ita quoque in hoc loco huic voci eadem dicendi gravitas & sublimitas summo jure adjudicanda est, quâ nihil dici potest magnificentius & glorioſius; vocula enim *Ego* sola & per se posita, indicat divinam essentiam, majestatem & gloriam, existentiam independentem, æternum duraturam quâ voce Deus idcirco sæpissime in verbo suo utitur, sibique tribuit, ad demonstrandam essentiæ suæ unitatem non solum, sed & summam perfectionem & majestatem, aseitatem, independentiam, quâ solus à se & per se existens simul causa & auctor omnium rerum extra se est, quæ in suo esse & porro esse unicè ab ipso dependeant, imo hac voce Deus nonsolum summam suam ὑπεροχὴν, qua

omnes

omnes creaturas infinitis parasangis antecellit, ostendere, sed & se ab illis præsertim à falsis & fictitiis gentium Idolis eorumque cultoribus distinguere & opponere vult, ad jus divinitatis ipsi soli competens contra eos vindicandum & tuendum. Hoc sensu & emphasi sæpius de Deo in scriptis prophetarum, & specialissimè apud Esaiam passim usurpatur, præsertim à Cap. XL-XLIX. multis vicibus, utpote in quibus Deo statutum est demonstrare & vindicare veritatem suæ essentiæ & divinitatis adversus Idololatras & incredulos ex Judæis & Gentibus, quos idcirco ad publicam quasi disputationem secum instituendam provocat, & de divinitate sua sibi soli propria convincit ex magnis operibus à se effectis, & in posterum efficiendis, imprimis quoque ex prædictione rerum futurarum contingentium re vera implendarum, quibus omnibus Idola & Idololatræ destituti sunt, àdeoque non ut veri Dii ab eis colendi. sic ex. gr. versu immediate Prophetiam nostram sequente octavo Pater dicit, eamque hac voce tanquam sigillo obsignat. אני יהוה *Ego Jehova hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus.* confer. Cap. XLI. 4. XLIII. 11-13. XLIV. 6-12. XLV. 5-7. 12. 13. 18. 19. 21. 22. XLVI. 4-10. Plus mysterii hic sectari non ausim, licet veteres Judæi tribus pronominibus personalibus *Ego Tu Ille*, quæ Deo sæpe in emphasi tribuuntur, aliquod essentiæ divinæ arcanum involvi statuisse videantur, de quo videri & expendi merentur, quæ Doctissimus ALTINGIUS in Exercitatione Grammatica tertia de plurali nominis אלהים §. 13. commentatus est, ubi producit locum ex Mischna Codice Succa Cap. IV. §. 5. in quo narratur traditio R. JUDÆ; in solenni processione, circa altare in festo tabernaculorum, quam singulis festi diebus factam esse memorant, in Litaniis usos fuisse Judæos hac formula sane mystica. אני והוא הושיעה נא *Ego & Ille salva quæso.* Arguit autem vir doctus Judæos veteres hic spectari voluisse tres personas Divinæ Naturæ sub tribus pronominibus, quarum duæ prima scilicet & tertia expressæ sunt vocibus *Ego* &

Ille, & secunda latet in voce הושיעה *salva obsecro Tu;* sub pronomine *Ego* Patrem tanquam principium & fontem omnium, sub pronomine *Tu* filium cum vero & proprio suo charactere, qui est הושיע *servare*, & per *Illum* spiritum sanctum, in quo divinitas completur, designaverunt. Non quidem absurdum est statuere in istius modi formulis reliquias pristinæ Judæorum doctrinæ contineri, sed quia istiusmodi formularum origo obscura est, & hæc imprimis in scriptura S. integra non reperitur, in iis, quæ circa hoc pronomen Personale *Ego* hactenus in medium prolata sunt, acquiescendum esse existimo, unicum hoc addens, singularem hoc pronomen, quo Pater hic in allocutione filii utitur, ad ipsum habere respectum & emphasin, nimirum nullo modo ipsi dubitandum esse de implemento promissionum paternarum & auxilio imprimis pollicito, quo in demandato munere perficiendo sibi opus erat, quoniam Pater esset ens summe perfectum, à se existens, independens (quod omnia pronomen *Ego* involvit) cujus potestas adeoque infinita, & cujus voluntati nemo resistere posset Ulterius autem Pater hoc innuit secundo, quo se ei proponit nomine, quando pronomini *Ego* subjungit nomen יהוה *Jehova*. De nomine Jehova non animus est hic fusè commentandi, cum hac in re viri docti nobis otia fecerint. Est nomen Dei characteristicum, quo se in verbo suo manifestare, & à reliquis diis secerni voluit. HOC est nomen meum in sæculum, & HOC memoriale meum in omnem æternitatem Exod. III, 15. Coll. Hos. XII, 6. Ego sum Jehova HOC est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus ait Deus ipse loco modo citato vs. 8. huj. Cap. manifesto indicio cum nullo alio communicari posse. Si in originem ejus inquiramus, vox hæc, quam LXX. ubique ferè reddunt per Κυριον Dominum, & quæ ab היה vel הוה vocabulo Chaldæis usitatiori originem ducit, denotat non tantum τὸ εἶναι, sed et τὸ πᾶν εἶναι esse & habere, & id quidem semper, adeoque eo significatur (1.) Deum ab æterno à se ipso esse & quidem ita, ut à nullo alio dependeat in existendo

do & operando. (2.) Deum omnibus creaturis ſuum eſſe largiri, nam perfecta demum univerſa creatione & ſingulis rebus ad ſuum eſſe perductis appellatur Jehova Gen. II. 4. Coll. cum Job. XII. 9. (3.) notat Dei fidelitatem & veritatem, quapropter venit in V. T. ſub אמן & in N. vocatur πιστὸς, ita non ſolum Deus omnium rerum productor, dominus atque conſervator eſt, ſed omnia etiam, quæ circa creaturas ſuas decrevit, adimplet, & ad propoſitum finem dirigit. Id egregie ex illo patet, quoniam hoc nomen יהוה omnia in ſe includit tempora præteritum, quod (יָהּ) præſens quod (הוֹ) & futurum quod (יִ) indicat, & convenit cum illo Apoc. I. 4. ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος qui eſt, qui erat, & qui futurus eſt, qui in ſpecie talis eſt in foedere gratiæ, quatenus nunc peccatori omnia eſt τὰ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν 2 Petr. I. 3. neceſſaria, & id ſemper erit conſequenter immutabilis, verax & conſtans in promiſſis Pſalm XXXIII. 4. Hoc nomen dicitur Abrahamo, & Iſaaco & Jacobo incognitum fuiſſe, quamquam Iſaac invocaverit בשם יהוה Gen. XXVI. 25. & Jacob dicit יהוה אלהיך fecit, ut occurreret mihi Gen. XXVII. 22. Quando ergo legimus Exod. VI, 2. quod quidem Deus apparuerit Abrahamo Iſaaco & Jacobo באל שדי nomine Dei potentis & ſufficientis ושמי יהוה לא נודעתי להם aſt nomine meo Jehova non cognitus eram illis, id eatenus intelligendum, quatenus non omnes gratiæ ſuæ theſauros in illos effuderit atque olim promiſſa in illis & coram illorum oculis impleverit, id quod poſtremis deſtinatum erat temporibus Hebr. XI. 13. Cum vero Deus Filium ſuum in plenitudine temporis miſiſſet promiſſionesque ſuas de Meſſia exhibendo impleviſſet, ille nomen hoc ejusque emphaſin hominibus manifeſtavit, ei à Patre datis Joh. XVII. 5. quando in ipſo omnes Dei promiſſiones factæ ſunt næ et amen 2. Cor. I. 20. Quamvis igitur maxima in hoc nomine vis lateat, non eſt tamen quod quis eam ad ſuperſtitionem urgeat, quemadmodum Judæi, qui dicunt, pronuntiantem juxta literas ſuas non habere partem in futuro ſæculo vid. BUXTORFIUS Lex. Bibl. n. Jehova, & Sanhedr. Cap. II.

II. Fol. 90. vſ. 1. quam cum coeteris illorum nugis circa hoc שם המפורש prætermitto. Plura de hoc tetragrammato cupidus lector inveniet apud LEICH. Crit. S. PFEIFFERUM Difficil. ſcript. locis. RELANDUM Exercit. de vera pronunc. Nominis Jehova GATAKERUM Diſſert. de Tetrag. WALTHERUM in Spicilegio GLASSIUM in Philolog. S. Cel. THEOD. HASÆUM Diſſertat. de lapide fundationis Cap. I. §. 17. 18. Veriſimile admodum eſt, gentiles fâma aliquid de hoc excellentiſſimo nomine percepiſſe, indeque eſſe tum Latinorum nomen Jupiter, quem in accuſativo Jovem vocant, tum Græcorum Ἰαὼ quod apud DIODOR. SICULUM invenitur. Hic enim de Judæis aſſerit παρὰ δὲ τοῖς Ἰουδαίοις Μωσὴν τὸν Ἰαὼ ἐπικαλούμενον Θεὸν προσποιήσασθαι τὰς νόμους αὐτῷ δεδόναι *Apud Judæos Moſen finxiſſe Deum illum qui IAO cognominatur, leges ipſi dediſſe.* conferatur MACROBIUS ſaturn. Libr. I. Quemadmodum vero nomen hoc pro tribus Deitatis Perſonis, adeoque pro tota eſſentia divina uſurpatur, ſic etiam perſonaliter Patri Pſalm CX. 1. Filio Jerem. XXIII. 6. & ſpiritui ſancto Es. VI. 9. Coll. cum Actor. XXVIII. 25. 26. tribuitur. Hoc igitur loco convenientiſſimè Patri primæ deitatis perſonæ ejusque fonti applicari poteſt & debet, quod §. 3. 5. 9. & in initio hujus tantâ argumentorum evidentiâ demonſtratum fuit, ut ulteriore repetitione non egeat. Interea & hoc nomen Jehova, quo Pater ſe ornat, Filiumque ſuum alloquitur, reſpectu Meſſiæ ſingularem iterum habet emphaſin ac pondus. Ex attenta enim nominis hujus conſideratione nova iterum ei fiduciæ ſuæ in Patris auxilium & reliquas promiſſiones collocandæ argumenta enasci debebant. Cui enim melius & tutius inniti poterat & debebat, quam Patri, cum ille & quidem ſolus ſit Jehova non ſolum Ens ſumme perfectum omnimoda ad auxiliatrices manus ei ferendum, potentia & viribus inſtructum, ſed & qua Jehova Ens immutabile, conſtans, fidele, & ſummè veraciſſimum in implendis omnibus, quas ei populoque ſuo dederat promiſſionibus, qui per conſequens uncto ſuo auxilium laturus eſſet certiſſi-

certissimum, nec sineret sanctum & electum suum servum in gravissimis muneris sui laboribus succumbere.

§. XVII.

Ordo rei secundum præscriptam Cynosuram requirit, ut & ad alteram nimirum Personam vocatam mea se convertat disputatio, quæ iterum non disertis exprimitur verbis, sed tantum latet in voce relativa *te*, indicante, ad antecedentia iterum recurrendum, eamque ex illis agnoscendam esse. Si hoc fit, quam clarissime apparebit, eâ neminem alium nisi Messiam innui. Ille enim in antecedenti pericopa à Patre talibus characteribus & nominibus encomiasticis populo Judaico digito quasi indicatus & commendatus fuerat, ut unusquisque ex iis Messiam facili negotio detegere posset, nisi cum ratione cœcutire, omnemque ejurare veritatem velit. Vocaverat eum Pater servum suum electum, in quo anima ejus acquiescebat vel complacentiam hauriebat, quem largissimis Spiritus Sancti donis uncturus & instructurus erat, ut tanquam summus Doctor & Propheta Mosi par, imo eo major Judæos & Gentes puriore sua doctrina illuminaret & converteret, donec ad veritatem judicium proferre, illudque in terra disponere posset, quo & Insulæ gentium in doctrina ejus fiduciam collocarent, hoc est eam agnoscendo vera fide assensum præberent ad salutem animarum. Descripserat porro Pater illum, ut unicum & summè misericordem pontificem, qui se in omnibus statui populi sui salvandi benigniter accommodaret, ægrotos sanando, debiles & infirmos sustentando & corroborando, arundinem enim quassatam non frangeret, & ellychnium fumigans non extingueret. Quæ omnia simul sumta cum evidentissimos Messiæ promissi characteres ipsi soli proprios constituant, veritatem in antecedentibus magna argumentorum copia stabilitam extra omnem dubitationis aleam ponunt & evincunt, Messiam ut ibi, sic & in oraculo nostro, tam arctè cum antecedente pericopa cohærente, per vocem

relativam *te* innui, & de nemine alio intelligi posse ac debere. Ad ardua autem hæc negotia, de quibus utrobique agitur, ad tam splendida munera, quibus Messias secundum Patris decretum functurus erat, necessario legitima vocatio accedere debebat, ne ipse sibi hunc honorem tribuisse videretur. Hæc itaque vocatio à Patre instituenda, Messiæ promittitur & asseritur partim generaliter in verbo קראתיך *vocavi te*, partim specialiter respectu modi & formæ בצדק *in justitia*. Verbum קרא observantibus Lexicographis, varias admittit significationes & derivationes, prout circumstantiæ rei aut personæ, cui applicatur, requirunt. Quemadmodum in genere notat voce clarâ ex alto loco sonum edere, adeoque aliquid publicè in omnium conspectu prædicare aut promulgare, instar vigilis aut præconis, quemadmodum apud orientales populos nec non apud Græcos & Romanos in more positum erat, sic in specie significat vocare aliquem, jubere ei, ut adsit ad hoc vel illud negotium cui destinatus est, faciendum. Ita Moses vocavit Aaronem & filias ejus cum senioribus populi Israelitici ad insinuanda ipsis quædam præcepta divina, ad cultum Leviticum spectantia Levit. IX. 1. Elisa vocabat unum ex filiis Prophetarum, ut accinctis lumbis cum lenticula oleo repleta abiret Ramothas Gilhadis ad ungendum Jehu nomine & jussu Dei in Regem Israelitarum II. Reg. IX. 1. 2. Deo, uti fit in hoc oraculo nostro, tributum, tanquam Enti perfectissimo & Spiritui purissimo, vocem, quâ sonum edere possit, non habenti, impropriè & θεοπρεπῶς capiendum esse, unusquisque Stylo S. codicis assuetus, facilè perspicit & agnoscet. Jehova Deus, cujus nomen magnum & tremendum, ad cujus vocem cælum & terra contremiscit, vario modo nonsolum alloqui, sed & vocare aliquem dicitur, tum quando secundum consilium & decretum voluntatis suæ æternum eum ad certa opera peragenda constituit & elegit, quo sensu de Jacobo & Israele venit cap. XLIII. 1. & de Cyro cap. XLV. 3. 4. tum quando eum tempore suo producit, excitat, nasci curat, jubetque, ut existat & adsit, qua ratione de gentibus

bus producendis & excitandis ad quærendam Dei communionem usurpatur Cap. LV. 5. & de Cyro iterum Cap. XLVIII. 15. etiam vocavi eum, hoc est volui eum venire, adduxi eum. Metaphora, ut videtur, desumta à Dominis, servos suos, ut præsto adsint, & mandata observent, accersentibus, tum, quando productum vel excitatum subjectum aptum & idoneum reddit ad provinciam demandatam exsequendam, quemadmodum rursus de Cyro dicitur Deus vocavit eum cap. XLI. 2. hoc est oleo spiritus sui largiter instructum, aptum & idoneum reddidit ad tam stupenda & heroica opera patranda, quæ deinceps recensentur. Simili modo hæc Messiæ vocatio accipienda est. Adpositè enim de Jehova Patre dicitur eum vocasse Messiam, partim Patrem eum in æterno pacis consilio ante jacta mundi fundamenta ad arduum hoc mediatoris munus destinasse & elegisse, quamobrem Messias ipse cap. XLIX. 1. dicit: *Jehova me vocavit ante uterum, antequam essem in visceribus matris meæ commemoravit nomen meum* hoc est, Interpretante Cel. VITRINGA ad h. l. & quidem bene ac docte: *Messias testatur hisce verbis, se à Jehova vocatum ante uterum, hoc est præcognitum & præfinitum* (προεγνωσμένον καὶ προορισμένον) *non tantum ante uterum matris, verum etiam ante jacta mundi fundamenta, ut de ipso Petrus* 1. *Petr. I. 20. Minus hic dicitur, ut majus intelligatur. Intelligis inde, me verba* ממעי אמי & מבטן *vertere ante uterum, & ante viscera matris meæ, hoc est, antequam essem in utero & in visceribus matris meæ: ac proinde, me vocationem & commemorationem nominis Messiæ hic interpretari de electione, designatione & sanctificatione illius Sancti, qui natus est ex Maria virgine, quæ electio & sanctificatio facta est in consilio Dei. Vocari enim, & de nomine hoc est nominatim & specificè Vocari stylo Jesaiano est eligi,* διδικῶς *designari. Confer. cap. XLIII. 1. & cap. XLII. 6. XLV. 3. 4.* Partim, eum, ut talem convenienter voluntati Patris secundum humanam naturam natum, atque ab ipso in mundum missum esse, forma servi admissâ similem hominibus factum excepto peccato Phil. II. 7.

Hebr. II. 17. IV. 15. vocare enim aliquem sæpius idem est ac creare, excitare aliquem, curare, ut nascatur, ita de Cyro ejusque antitypo Messia usurpatur & explicatur Es. XLVIII. 15. 16. quando Pater de Cyro ut typo Messiæ ait *Ego Ego locutus sum: etiam vocavi illum, adduxi illum, eritque prospera via ejus:* Messias autem Cyri antitypus hoc explicans & secum conferens dicit: *Appropinquate mihi, audite hoc: ab initio non sum locutus in occulto. A quo tempore illud extitit, Ego ibi sum, & nunc Dominus Jehova misit me.* Confer. Psalm XL. 7. & seq. nec non Hebr. X. 5. partim denique Patrem Filium secundum æternum pacis consilium ad munus illud tanti momenti oleo Spiritus Sancti largiter instruxisse, aptumque reddidisse, ut ei obeundo par esset, quemadmodum ipse servator à Vate nostro hoc in gloriam Patris agnoscens introducitur Cap. LXI. 1. *Spiritus Domini Jehovæ, inquit, est super me, propterea quod unxerit me Jehova ad bonum nuncium ferendum mansuetis, misit me ad obligandum confractos corde, ad promulgandum captivis libertatem, & vinctis visum acutissimum &c.* Omnia autem circa hanc Messiæ vocationem fierent decenter, modoque Dei perfectionibus convenientissimo, qui indicatur à Patre in voce בצדק *in justitia.* vox צדק quæ cum צדקה coincidit, in genere notat tum rectam actionem normæ juris & æqui, lege divinà contentæ, in omnibus consentaneam, tum jus ipsum, quod alicui exinde enascitur hoc vel illud promissum ex talibus actionibus profluens, postulandi, ut Psalm. IV. 6. Es. LVI. 1. Psalm. CXXXII. 9. Dan. IX. 24. adeoque valde apta nata est ad veram proprii nominis justitiam exprimendam. Justitia enim, quæ propriè derivatur a jure, in genere nihil aliud est quam rectitudo sive convenientia animi & actionum cum jure, cujus norma est lex, sub quâ quis vel sua quasi natura est, vel per auctoritatem alterius, ex qua certum accipit jus ad petendum imo flagitandum secundum legis promissionem præmium. Hæc enim duo ad illam spectant, & indivulso nexu conjuncta sunt. Recte facta secundum legem, cui addita est promissio, dant etiam

jus

jus petendi & exspectandi promissionem. Primus homo, utpote conditus ad Dei imaginem perfectâ sanctitate & justitia constantem, antequam peccaret, priori modo procul dubio justus fuit, posteriori autem modo factus fuisset justus per perfectam legis obedientiam, nondum enim habebat jus ad vitam, sed adquirere illud debebat. Sed peccato in mundum introducto per ejus inobedientiam cum amissa simul Dei imagine omnes homines justitia illa carent. ad omne enim vitium proclives legem Dei non amplius servant, imo nullum ejus postulatum servare possunt, unde jure illo promissum legis proemium vitam nempe æternam postulandi plane sunt orbati, non possunt consistere coram tribunali summi judicis. Regenerandis igitur ad amissam in Adamo Dei imaginem Messias Jesus Christus servus ille Dei justus fit iterum justitia per fidem in ipsum 2. Cor. V. vs. ult. quia proponitur in evangelio ut unica comparatæ coram Deo valentis justitiæ per perfectissimam obedientiam tam activam quam passivam causa & scaturigo, utpote qui per passiones culpæ reatum abstulit, & per obedientiam legis, postulatum ejus implendo, jus ad vitam promissam acquisivit, cujus participes fiunt, qui credunt in ipsum, ita tamen, ut simul gratia spiritus sui sanctificentur & delectentur lege Dei, illique per amorem & obsequium se subjiciant, justitiamque ita faciant 1. Joh. III. 7. Emphatico autem sensu & perfectissimo gradu justitia Deo Enti supremo tributa generaliter denotat firmum & immutabile Dei propositum in omnibus actionibus suis secundum legem vel normam juris & æqui agendi ac operandi Deuter. XXXII. 4. Dan. IX. 14. Non quasi Deus subsit alterius legi, est enim ἀνυπεύθυνος Dominus, à quo sunt omnia, sed quia ipse sibi lex est, & semper agit convenienter naturæ ac virtutibus suis, seque abnegare nequit 2. Tim. II. 12. Unde ultro profluit ipsum ut Legislatorem homini leges justas utriusque naturæ & relationi congruas præscribere, secundum eos ut Judicem justum tam recte judicare, quam obedientes & transgressores pro jure suo & creaturæ merito vel remunerari vel punire

posse ac debere, quæ aliâs justitia ejus legislatoria & judiciaria audit. confer. Gen. XVIII. 25. Ps. IX. 5. L. 6. Jerem. XII. 1. Actor. XVII. 31. Apoc. XVI. 5-7. Hisce generalioribus circa notionem justitiæ præmissis, quæstio oritur, quonam sensu vox justitia, in quâ vel ad quam Messias à Patre vocaturus esset, hoc loco capi debeat. Duæ potissimum hac de re Interpretum Doctorum extant sententiæ. Quidam eorum, inter quos CALVINUS & VITRINGA præcipui sunt cum vox צדק justum & æquum negotium innuens, ut Ps. XV. 2. ubi tribuitur homini ambulanti integrè, & justitiam excercenti hoc est justè viventi confer. Prov. XI. 18. 19. Ezech. XVIII. 3. ut nomen substantivum cui litera ב præfixa est, sæpe adverbialiter more styli hebraici sumi & verti animadvertentes, ut Exod. I. 13. Et servire fecerunt Ægyptii filios Israel בפרך in sævitia hoc est sæviter, crudeliter more tyrannorum, cujus rei plurima exempla inveniuntur apud GLASSIUM in philolog. S. pag. m. 459. explicant illud צדק h. loco adverbialiter per *justè, æquè, legitimè, vel justo modo*, ob gravissimas, quas Pater de hac Filii sui promissa vocatione habuerat rationes. *Vocavi te in justitia* idcirco indicare potest vocationem Messiæ à Patre fieri legitime & justissimo modo, convenienter & decenter virtutibus Dei, quoniam nimirum justitiæ, veritatis æquitatisque rationes id postulabant. Quo sensu de Cyro etiam servatoris typo prophetico respectu muneris regii, ut §. VII. monitum est, usurpatur Cap. XLV. 13. Et certe hæc Interpretatio, uti convenientissima est genuinæ significationi vocis צדק æquitas, veritas, justitia, sic rei ipsi, de qua hic agitur, exactè respondet. Consilium enim Dei de mittendo generi humano mediatore, & procurando coecis peccatoribus Doctore perfecto in justissimis & æquissimis fundatum est rationibus. Promissa Ecclesiæ facta, & iis nixa spes & exspectatio electorum; hujusque servatoris & Doctoris summa necessitas fecerunt, ut Deus illum vocaverit, hoc est electum & vocatum adduxerit, tempore suo excitaverit, & nasci curaverit, ut voluntas Patris per manum ejus prospe-

prosperaretur. Tantum aberat, ut hâc vocatione aliquid contineretur pugnans cum æquitate, ut è contrario appositè sapientiæ, sanctitati, justitiæ veritatique divinæ congrueret, nec non æterno pacis consilio Jehovam inter atque virum Zemach, qui sponsione in se suscepta legi divinæ morem gerere debebat, eumque in finem à Patre vocandus erat. Imo per Messiæ vocationem Pater omnem nominis Jehova vim, omnes virtutes suas & perfectiones manifestabat, consilium suum implebat, promissisque stabat. Alii cum COCCEJO voce צדק justitia finem vocationis Messiæ à Patre indigitari existimant, quoniam majorem, ratione etiam sequentium phrasium involvere emphasin videtur, & particula ב frequenter talem significationem admittit, ut finem & scopum rei alicujus innuat ex. gr. 1. Sam. XVI. 3. & invitabis Jsai בזבח ad sacrificium, de quibus plura ad ducunt exempla NOLDIUS in Concord. Particul. & GLASSIUS libr. cit. adeoque verba vertunt *vocavi te* בצדק *ad justitiam* hoc est demonstrando justitiam meam, adducendo veram miseri peccatoris justitiam unicè coram me valentem. Et certe inter varias vocationis Messiæ fines, & hunc cum maximè pertinere multis locis sacræ literæ inculcant. *LXX. hebdomatibus*, de quibus Daniel Cap. IX. 24. vaticinatur *absolutis* per vocationem vel adventum Messiæ in mundum, *cohibebitur defectio, obsignabuntur peccata, expiabitur iniquitas, & vera ac perpetua justitia adducetur.* ideo *ab Israele vocandus erat Jehova justitia nostra* Jerem. XXIII. 6. & XXXIII. 16. Partam enim justitiam populo suo annunciaturus atque donaturus esset, *prædicaret quippe justitiam in congregatione multa*, Ps. XL. 10. *totum semen Israelis à & in Jehova justificandum imo in eo gloriandum esset, ipsi incurvatum iri omne genu, juraturam omnem linguam in Jehova omnis justitia & robur est.* Es. XLV. 24. 25. *Hæc esset possessio servorum Jehovæ, quorum justitia ex me dictum Jehovæ* Cap. LIV. 17. Cum utraque sententia in S. Codice fundata, inque Messia veritatem suam nacta sit, tutissimè combinandam esse

esse existimo, licet priorem præcipue à Patre intentum fuisse sensum vero simillimum sit.

§. XVIII.

Quo justior esset vocatio, quæ Messiæ à Patre suo contingeret, eo efficacior & solidior esset corroboratio & auxilium, quo divina Patris benignitas eum in arduo munere suo, ad quod vocationem legitimè acceperat, sublevaret; quod bina phrasi describitur, & Filio promittitur, quæ omni attentione digna est, ulterioremque explicationem meretur: Prior phrasis ita sonat: ואחזק בידך *Et prehendam manum tuam.* Inter varia corporis humani membra, manus quoque non ultimum obtinent locum, utpote quibus mediantibus & extensis hanc vel illam rem sibi occurrentem apprehendere, hoc vel illud negotium efficere, imo fortissima facta patrare homo valet, unde apud profanos æque ac sacros scriptores emblema roboris, potentiæ, & potestatis, quâ quis pollet, gerere solent, cujus rei exempla in scriptis Theologorum, qui rem emblematicam pertractarunt, ubivis obvia sunt. Metaphorice igitur manus in hominibus indicant omnia eorum cogitata dicta, & facta, quæ pro ratione muneris exserunt, & quid valeant humeri, quid ferre recusent, arguunt, omnia eorum conamina, & felicissimos progressus, quos in hoc vel illo negotio faciunt, omnibus viribus secundum acceptam potentiam & robur laborantes, ut proposita opera cum exoptato successu perficere & absolvere possint. unde opus manuum eorum audiunt Ps. XC. 17. Ita de Joseph dicitur, à Potiphare emto Jehovam ei benigniter adfuisse, & omnia, quæ faciebat, secundasse in manu ejus; quibus commotus Potiphar eum præfecit domui suæ, & omnia, quæ sibi erant, tradidit in manum ejus Gen. XXXIX. 3. 4. vid. & Num. XXXIII 1. XXXVI. 13. Esr. III. 13. in textu Hebr. Conf. GLASSIUS Grammat. S. p. 148. Malo etiam sensu interdum de potentia hostium Ecclesiæ sumitur, deque inimicissimis eorum in opprimendo Dei populo

populo conaminibus, quibus pernitiem & exciſionem ejus, ſi fieri poſſet, ſummo ſtudio omnibusque viribus promovere allaborant. ex. gr. Pſ. XCVII. 10. promittitur veris Eccleſiæ membris Deum ſincero amore complectentibus Jehova cuſtodit animas ſanctorum, eripiet illos *è manu* impiorum. Simili ratione Meſſiæ impropriè, & quidem priori ſenſu manus adſcribitur, ad denotanda omnia ejus opera & negotia, quæ pro ratione demandati muneris efficere & perficere debebat ad ſalutem populi ſui procurandam, in quo omne robur & acceptam potentiam, manum fortem manifeſtare debebat. Ille ex captivitate Satanæ, peccati, & mortis liberandus, & ad Dei communionem reducendus erat. Hinc magnum ipſi certamen ineundum erat cum Satana & omnibus ejus aſſeclis, ut præda huic robuſto auferretur. variæ hanc ob cauſam tentationum procellæ, & paſſionum fluctus eum undique circumirent, animamque & corpus ejus quaſi inundarent, quando de torrente in via biberet, ita uti demergeretur in coenum profundiſſimum; ingrederetur profunditates aquarum, & fluentum inundans abriperet eum. debellandi erant omnes ſui populique ſui hoſtes, atque adeo fortiſſima opera & ardua varii generis negotia perficienda erant, in quibus manum potentiæ & brachium roboris manifeſtare debebat, ſi dexterra ejus ipſum terribilia docere poſſit. Ne autem huic labori impar eſſet aut in illo ſuccumberet, promittitur ipſi conſtans Patris auxilium & corroboratio verbo ואחזק *Et prehendam* ſcilicet manum tuam. Verbum חזק in genere prehendendi apprehendendi, tenendi ſignificationem habet, ſed in hiphil cum litera ב conſtructum major adhuc ei ineſt emphaſis, ut notet actum potentioris imbecilliorem manu prehendentis, ut ipſum eripiat ex proximo periculo, cujus exemplum eſt in liberatione Lothi & domeſticorum ejus ex ſodoma, de quibus hiſtoria narrat: *Et prehenderunt viri illi manum ejus* &c. Gen. XIX. 16. vel poteſt eſſe Metaphora à Parentibus deſumta, liberos ſuos in ſummam anguſtiam & præſentiſſimum vitæ discrimen perductos, manu forti ap-

prehendentibus, & sic ex incumbente malo liberantibus, aut ab aliis hominibus, hunc vel illum in foveam aut aquam profundam demersum apprehendentibus manu dextra robustiore, ut ita tanquam manu potentiore & vi efficacissima ex tali angustia & præsentissimo malo eripiatur, quale quid Petro quondam accidit, cum ambularet super aquas, ut ad Jesum veniret, *viso enim vento valido valde timebat, & quum coepisset demergi, clamavit dicens Domine serva me, qui statim extensa manu apprehendit eum, & liberavit à periculo Matth. XIV. 29-31.* Exinde sæpius transfertur, & usurpatur de singulari divinæ providentiæ cura, & eximio amoris, misericordiæ, & benignitatis Dei documento, quod foederatis suis in communione cum ipso exhibet tam in primis conversionis gratuitæ initiis, quam in ulteriori status gratiæ ipsorum confirmatione, tum quando eripit illos ex potestate tenebrarum, & transfert in regnum filii sui dilecti, Col. I. 13. tum quando oculus Dei attendit ad illos, ut eripiat à morte animam eorum, & vivum conservet corpus in fame, imo ex omni angustia & malo liberet eos, ut celebrent ipsum debitis laudibus Ps. XXXIII. 18. 19. L. 15. tum quando forte ex incogitantia declinant pedes eorum à recto veritatis tramite, instar errantium ovium, dextram eorum manum prehendat, ut ad Deum vera poenitentia recurrant, & manibus remissis, genubusque solutis robore spiritus sui erectis, orbitas rectas faciant pedibus suis, ne quod claudum est deflectat de via, sed ut sanetur potius Ps. LXXIII. 2. & 23. Hebr. XII. 12. 13. Ex his facilè apparet, quam ingens sit beneficium, quod Pater Filio suo promittit, quando dicit *Et prehendam manum tuam.* Pollicetur enim ei auxilium præsentissimum & potentiam suam constanter duraturam, quâ ei providâ sua cura semper adesse sentiret, eum eripiendo ex tentationibus & passionibus gravissimis, quas necesse haberet sustinere, & educendo ex insidiis, quæ ipsi struerentur, cum in medio hostium versaretur, imo ex omnibus periculis, in quæ delaberetur, brachio roboris sui liberando, quando eum in omnibus angustiis, ipso mortis agone ne quidem excepto,

excepto, ut servum suum electum sustentaturus erat, quemadmodum vs. 1. huj. Cap. dixerat. Hac spe fretus Messias Jehovam, à quo inde ab utero formatus vocatusque erat, ut ei serviret, Deum, roburque suum appellabat Cap. XLIX. 1. & 5. ideo Jehovam sibi jugiter proponebat, & quia Messiæ à dextra erat, dimoveri haut poterat Ps. XVI. 8. XXII. 12. Es. L. 7. Hoc vero auctoritatem divinam atque potentiam Filii minimè imminuebat, Pater enim atque Filius eadem potentia operantur, ideoque Messias hic oeconomicè in assumtâ humana natura consideratur ut verus homo, qui in se spectatus impar erat ferendo illi oneri, adeoque inhabitante Deitate, consequenter à Patre sustentandus & corroborandus erat. Quia igitur Pater Messiam vocaverat in vel cum & ad justitiam, auxilium, quod ad parandam hanc justitiam requirebatur, ei denegare haud poterat, coeteroquin gravi huic oneri viribus fractus succubuisset, id vero cum divinis virtutibus, immutabilitate æterni consilii, justitia, æquitate, promissorumque veritate pugnasset. Nec minore gaudet emphasi altera phrasis, quà Pater in promissione corrobationis & auxilii Filio suo præstandi utitur, quando sic pergit: ואצרך *& custodiam te.* Verbum נצר quod affinitatem habet cum nomine אוצר thesaurum denotante, propriè & generaliter significat aliquid ut rem pretiosam, & omni cura dignissimam, sedula & diligenti industria, ne damnum patiatur, custodire ac conservare, quemadmodum dives thesaurum, vigil domos cum incolis, & vineator vineam & ficum, milites moenia urbis, pastor oves custodire ac tueri solent, ne quid detrimenti capiant. quo sensu venit Job. XXVII, 18. Ps LXXX. 1. CXXVII. 1. Prov. XXVII. 18. Es. XXVII. 3. In hac significatione summâ emphasi sæpissime Deo tribuitur in S. paginis ad designandam providam ejus curam atque custodiam, quâ se gerit hominum optimum servatorem & Custodem Job. VII. 20. imprimis populi sui in eum sperantis, quem instar pupilli contra quævis mala benignè & potenter tuetur Ps. XVII. 8. & adversus timorem & vim hostium præmunit Ps. CXL. 2. 5. aut in omnibus afflictionibus animæ & corporis eos confortat, ut exant

landis eis pares sint, nec ullo modo è statu suo excidant, aut ab incumbentibus malis potenti manu liberat & vindicat. Ps. XXXI. 24. XXXII. 7. XXXVII. 28. 39. 40. XCVII. 10. uno verbo virtute Dei tanquam præsidio custodiunter per fidem ad salutem æternam in coelis paratam 1. Petr. I. 4. 5. Gentiles quidem Idolis suis cum divinitatem tribuissent, & hominum, urbium, & populorum tutelam illis adscribebant, eamque ob causam CUSTODES appella bant. Apud DIONYSIUM HALICARNASSEUM mentio fit Θεῶν φυλακῶν *Deorum custodum* Libr. IV. Antiq. Rom. p. 220. Jovem. φυλακα πολυπημόνων βροτῶν *custodem laboriosorum mortalium* appellat ÆSCHYLUS in supplem. vs. 388. Latini non minus JOVEM CUSTODEM salutabant, cujus rei plures apud GRUTERUM inscriptiones extant pag. XIX. ex. gr. n. 5.

JOVI CUSTODI

QUIRINO SAL-

VATORI

Et apud GUIDIUM pag. V. JOVI CUSTODI OPTIMO MAXIMO CONSERVATORI. vid. pag. VII. VIII. ut & REINESIUM Inscriptionum pag. 293. Huic Custodi Jovi ædem excitavit in Capitolio Domitianus referente SUETONIO *Domitiano* Cap. V. & quidem templum ingens, seque in sinu Dei sacravit secundum TACITUM Histor. III. 74. 2. cujus simulacrum & templum conspicitur in nummo Diocleriani cum inscriptione JOVI CONSERVATORI AUG. apud Illustrem SPANHEMIUM Oper. Tom. II. p. 645. Attamen miseri erant gentium Dii Custodes, qui oculos habebant, sed non videbant, aures, nec audiebant Ps. CXV. 5. miseri custodes, qui custodiendi ab hominibus erant, ne furto surriperentur, quare etiam illorum simulacra in intimas ædis

ædis partes reponebantur. Hinc VIRGILIUS de Trajanorum Palladio Æneid. Libr. II. vſ. 166, 167.

Fatale aggreſſi ſacrato avellere templo,
PALLADIUM, cæſis ſummæ cuſtodibus arcis

Miſeri Cuſtodes, qui cum ad incitas redacta eſſet Respublica compedibus injectis alligari, & inviti ad tutelam præſtandam cogi ſolebant, ut Tyrii ſuo Herculi catenas aureas injiciebant, ne fidem & officium deſereret. Lacedæmonii Martis ſimulacro compedes adjecerant. vid. PAUSANIAS Lacon. Cap. XV. p. 245. Hinc lucem mutuatur Es. XL. 19. ubi artifex Idolorum ſimulacris רתקות כסף *catenas argenteas* addere dicitur. confer. Jerem. X. 4. Contrarium vero præſtat cultoribus ſuis ſupremus Deus, quem idcirco Eccleſia falſis Gentium Diis & Cuſtodibus opponit, in quo ejus que tutela omnem ſuam fiduciam ſummo jure collocat glorians de illo. *Non dabit in commotionem pedem tuum, neque dormitabit, qui cuſtodit te. Ecce non dormitat, neque dormiet cuſtos Israelis. Jehovas cuſtos tuus. Jehova umbra tua eſt ad manum dexteram tuam. Inter diu ſol non percutiet, neque Luna noctu. Jehova cuſtodiet te ab omni malo, cuſtodiet animam tuam. Jehova cuſtodit exitum tuum & introitum tuum ex hoc tempore usque in ſæculum.* Pſ. CXXI. 3-8. Eandem igitur quam Eccleſiæ ſuæ, merito quoque Capiti ejus Pater exhibiturus erat cuſtodiam, unde pollicetur Filio *Et cuſtodiam te.* quâ phraſi tam præſupponit, quam includit, Meſſiam ſibi eſſe cariſſimum, in quo tota eſſet oblectatio, adeoque ſe eo nomine tenerrima ipſum proſecuturum eſſe cura, ne tentationibus ſatanæ, animæque paſſionibus ſuccumberet, ſe eum non modo ad usque mortem, ſed etiam exantlatis ſuperatisque mortis paſſionibus corpus animamque providâ cura cuſtoditurum. Meſſias quidem ut ſacerdos deberet animam ſuam exponere אשם Es. LIII. 10. tanquam Propheta ſuam ob doctrinam inimicorum exponendus odio, ideoque ab illis morte afficiendus erat, qui dicerent

rent *res nequissima adhæret ei, & quod decumbit, non amplius exsurget* Pſ. XLI. 9. Jehova Meſſiam nihilo ſecius ut rem pretioſiſſimam ſervaturus erat, non duntaxat ſpiritum ejus in coelum recipiendo, ſed & corpus ejus in ſepulchro ſartum tectum cuſtodiendo, ne corruptionem videret. Pſ. XVI. 10. Quid quod ſtatus exaltationis Meſſiæ hic ſimul indicatur & promittitur, Patrem nimirum pro oeconomiæ ratione (ita quippe & antecedentia intelligenda ſunt) Meſſiam è ſepulchri ſtatu liberaturum, eumque è mortuis ſuscitaturum, vitâque donaturum, gloriæ & majeſtatis plenâ ad dextram Patris, quam ſerio & ardentiſſimis votis ab eo petierat. Pſ. XXII. 5. Quia Meſſias à Patre vocatus erat, vitam quoque ſuam cuſtodire debebat, coeteroquin enim, neque voluntati ejus morem gerere, neque juſtitiæ ſuæ ſatis facere, neque partam juſtitiam populo in peculium electo applicare potuiſſet, quod tamen in ſequentibus promittitur, & nunc propius inſpiciendum venit.

§. XIX.

Nimirum hæc foret arduorum Meſſiæ munerum, quæ per juſtam Patris vocationem, potentiſſimamque ejus corroborationem ſuo tempore obiret, proprietas, ut ſingularem ad populi ſui ſalutem, haberent reſpectum, unde ſub hâc quoque relatione à Patre deſcribuntur, & Filio proponuntur. Scilicet cum populus, quem Pater ei in peculium daret, ex Judæis & Gentibus conſtaret, ſecundum aſſertum ejus *poſtula à me, & dabo Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ* Pſ. II. 8. Confer. LXXII. 5-12. Es. II. 1-4. Jerem. III. 14-19. Zachar. II. 10. 11. VIII. 20-23. munera Meſſiæ ita à Patre deſcribuntur, prouti eorum curaſe circa unamquamque nationem ſigillatim operoſa manifeſtaret. Reſpectu populi ex gente Judaica promittitur Filio: ואתנך לברית עם *Et dabo te in foedus populi.* Subjectum orationis eſt עם quæ vox fere ubique populus vertitur, ſed, unde originem habeat, disquirunt eruditi. Quidam deducunt

cunt à præpositione עם. *cum* quæ conjunctionem vel associationem quandam indicat, qualis obtinet in populo, ex multis hominibus individuis collecto, & in unum corpus sub uno capite associato. In hunc sensum FORSTERUS in Lexico scribit: עם *GNAM CONSOCIATIO sive MAGNA sive PARVA hominum, qui SIMUL juncti idem nomen, jus, eandem linguam, religionem, politiam habeut, ab* עם. *Gnim, cum, SIMUL, eo quod SIMUL cohabitent inter se, & secum JUNCTI sint societate, lingua, jure, religione, & latinis POPULUS dicitur.* Neque ab eà originatione alienus videtur Clar. GUSSETIUS in comment. Ling. Hebr. ad vocem עם cum ait: עם *nihil nisi multitudinem notat quæ* עם *SIMUL confluxit.* Alii potius à עמם quod obtegendi, cooperiendi gaudet significatu, derivant, vel ob rationem objectivam, quia populus plerumque adeo copiosus est, ut suâ multitudine obtegat, & quasi obscuret superficiem terræ quemadmodum AVENARIUS in Lexico arbitratur, vel ob rationem passivam, quia talem præcipuè denotat populum, sive societatem hominum, ad eandem civitatem seu politiam pertinentium, & sub imperio aliquo sive Magistratu viventium, qui subditos suos quasi contegit sive obumbrat auctoritate & defensione sua, plane quemadmodum arbor aliqua densitate ramorum & foliorum contegit & obumbrat aves, pecora, homines, gramen atque herbas sub ea latentes vel crescentes, unde Principes & Reges populi alicujus in S. codice sub emblemate arborum patularum, quarum tegmine subditi eorum quasi obumbrantur, designari solent, sicuti exempla Nebucadnezaris Dan. IV. Regis Assyriæ Ezech. XXXI. Regis Judæ, de quo dixerant Judæi sub umbra ejus vivemus inter gentes Thren. IV. 20. imo ipsius Regis Messiæ Ezech. XVII. abunde satis demonstrant. Alii denique ab eadem radice apud Arabes superstite descendere volunt, quæ significat commune fuit, commune fecit, ut innuat multitudinem ad communionem & societatem mutuam colendam justo ordine, æquis legibus, communibus privilegiis & bonis arctissimè inter se conjunctam. Quo sensu etiam apud veteres latinos occurrit, utpote quibus vocabulum

populus

populus dicirur a πολις civitas. est enim populus humanæ multitudinis coetus juris consensu & concordi communione sociatus, quemadmodum à CICERONE apud AUGUSTINUM describitur de civit. Dei L. II. Cap. XXI. ut COCCEJUS benè observavit. Quicquid autem sit de variis hujus vocis derivationibus, quarum electionem Lectori relinquo, id tamen certum est, eà talem innui hominum multitudinem, quæ sub communi Domino, certis legibus, æquali jure, & privilegiis tanquam arctissimo societatis vinculo colligata & unita est. Hoc sensu ex. gr. de Moabo prædicatur Jerem. XLVIII. 42. Et exscindetur Moab מעם ne sit populus h.e. ut non amplius sub suo Rege suis legibus vivat tanquam populus ab aliis secretus. Licet autem vox hæc de quovis populo usurpetur, præsertim quando in plurali numero occurrit, ut adposite viri docti observant hoc casu non raro etiam Gentes Israeli oppositas designari, sive contra unctum Zionis Regem ejusque regnum hostiliter insurgerent ut Ps. XXXIII. 10. inter quas speciatim populi gentesque mysticæ Antichristianismi eminent ut Zach. XII. 2-4. XIV. 12. sive sceptro roboris sui per obedientiam fidei se subjicerent ut Ps. XLVII. 2. 9. 10. Zeph. III. 9. 10. ita imprimis in singulari numero posita plerumque in scriptis V. T. κατ' ἐξοχὴν de semine & posteris Abrahami Isaaci & Jacobi, qui & Israel audit, intelligitur, unde innumeris in locis mox populus Israel mox populus Dei, mox simpliciter populus appellatur, quoniam Deus imprimis Filius Dei Patribus eorum non solum promiserat se fore ipsis in Deum, eosque ipsi in populum, sed etiam illos qua talem ex omnibus totius orbis populis re vera elegerat, assumserat, & ab illis muro quasi integerrino separaverat, præcipuë ex eo tempore, quo hunc populum ex dira Ægypti servitute dextra roboris sui per manum Mosis liberaverat, per mare rubrum & vastissima Arabiæ deserta in promissam Patribus terram cananæam introduxerat foedere cum eo in monte sinai erecto & in populum peculii assumto, legibus sanctissimis & æquissimis ipsi præscriptis, quibus adstipulatione foederali facta

facta obedientiam pollicitus fuerat, imo innumera alia divini sui favoris & benevolentiæ beneficia & documenta dederat, per glorioſisſimam imprimis præſentiæ ſuæ inter hunc populum mediante ſchechina manifeſtationem, quâ tanquam unicus hujus populi Rex primo in tabernaculo, ſequentibus dein temporibus in templo ſub alis Cherubinorum reſidens ei ſemper præſto erat, viam, quam incedere debebat, monſtrando, cibum & potum procurando, contra hoſtes defendendo, conſilia mediante Urim & Tummim in rebus difficillimis impertiendo, & deinceps in terra promiſſa multis beneficiis cumulando &c. quemadmodum inſignia hæc Dei beneficia, ſingularesque prærogativas, quibus fruebatur, Moſes ſæpisſime enumerando debitis extollit laudibus, & populo huic ad gratitudinem excitandam ad animum quaſi revocat Exod. XIX. 4-8. Deut. IV. 5-16. VII. 6-16. XXXII. 8-14. XXXIII. 29. Unde non ſolum creberrime cum populis & nicis conjungitur, ſed & eis, utpote talibus privilegiis deſtitutis, opponitur & contradiſtinguitur. *Populus Israel ſolus erat Dei populus*, quem Jehova ex Ægypto eduxerat, ut eſſent ei *populus hæreditarius* Deut. IV. 20. *Populus, qui ſolus habitabat, & aliis gentibus non annumerabatur* Num. XXIII. 13. *Gentiles* autem eo tempore erant *Lo Ammi & Lo Ruchama non populus & Gens non miſerata*, utpote quos Deus εἰασε πορεύεσθαι ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν *ſivit incedere in ſuis ipſorum viis.* Actor. XIV. 16. *quique erant alieni à Republica Israelis, extranei à pactis promiſſionis, ſpem non habentes & Dei expertes in mundo* Epheſ. II. 12. unde illi vocantur לא עמי *non populus* Deut. XXXII. 21. Quia vero regnum Meſſiæ ſub N. T. etiam ad alias extra populum Judaicum nationes, gentes nimirum ſe extenderet, eæque etiam cum Judæis aſſociatæ unum Dei populum conſtituerent, ut ex citatis modo Prophetarum vaticiniis perquam clariſſime liquet, inde hæc vox עם ſæpius quoque transfertur ad Eccleſiam N. T. ex Judæis & Gentibus ſimul convocandam, quæ idcirco populus ille audit cujus Jehova Deus eſt, & quem ſibi in peculium hæreditarium elegit Pſ.

24. 25. 26. 27. 28. 33. 29. 32. 30 31.

XXXIII. 12. confer. Pſ. XXVIII. 9. XXIX. 11. LXXII. 2. 4. LXXXV. 9. Es. LX. 21. Jerem. XXXI. 14. 33. Quæ phraſis relationem foederalem reſpicit, per quam factus eſt in populum, quem Deus multis beneficiis & ſanctiſſimis legibus ſibi obſtrinxit, per communionem ſpiritualem inter ſe ligavit, & ab omnibus populis mundi diſtinxit: Illi enim, qui hac ratione ad populum Dei pertinent, non tantum uniti ſunt inter ſe vinculis civilibus ſive humanis, verum etiam divinis & religioſis. Eundem quippe habent Deum, eundem ſoſpitatorem, easdem leges, jura, privilegia, & inter ipſos communio quædam ſanctorum obtinet, quam fruſtra in aliis gentibus, quæ Deum non agnoſcunt regem moderatorem, & judicem, & à foedere ſuo alienatæ ſunt, quæras. Sigillatim Eccleſia hæc N. T. populus dicitur, quia eſt antitypus Israelis, in quo omnia, quæcunque typicè ad conſtitutionem populi Israelitici ſpectabant, implementum ſortirentur, foret enim populus peculii divini, forti manu ex ſervitute peccati & ſatanæ ereptus, ſanguine novi foederis initiatus, Theocratiæ ſpirituali ſubjectus, prærogativa ſacerdotii regii quoad ſingula membra donatus, hæres Canaanis coeleſtis & totius mundi, Solymæ ſupernæ civis, ſub uno capite ac Domino Rege Meſſia contra ejus ſuosque hoſtes fortiter dimicans, donec abſoluto vitæ hujus curriculo plenam in coelis victoriam reportat. His præmiſſis quæſtio formari poteſt, quonam ſenſu vox עם hoc loco ſumi debeat, num ad ſolos tantum Judæos, aut etiam ad Gentes ſimul extendenda ſit, quibusdam pro priori, aliis vero pro poſteriori ſignificatu militantibus. Qui poſteriorem amplectuntur ſententiam, his nituntur rationibus (1) quia nulla additur deſcriptio populo Israelitico ſoli hoc vocabulum vindicans (2) quia Meſſias ſub Nova Oeconomia, tam in foedus Etnicorum, quam Israelitarum datus eſt. (3.) quoniam in loco Parallelo Es. XLIX. vſ. 8. & 9. ubi Meſſias disponendus dicitur in foedus populi, ſub vocabulo עם ſatis etiam etnici comprehenduntur. Qui vero pro priori ſtant opinione, HIERONYMI veſtigia prementes, ut LXX. Interpretes

terpretes, qui verterunt καὶ ἐδοκασε εις διαθηκην γενυς *dedidit in Teſtamentum generis.* nec non in editione των LXX. Complutenſi, ubi additum eſt Israel, unde liquet, illos per populum, Israelitas ſpeciatim intellexiſſe: eam ſequentibus probant argumentis (1.) quia vox עם in ſingulari numero poſita, uti fit in oraculo noſtro, κυρίως & ἀντονομασικῶς populo Judaico tribuitur, quemadmodum antea à me quoque monitum fuit. (2.) quia de populo Dei ex Gentibus in gremium Eccleſiæ aſſumendo, & ſalute ipſis in ſocietatem & communionem cum fidelibus ex Judæis conferenda, in altera phraſi agitur, quâ Pater Filio pollicetur, Gentibusque promittit, ipſum in lucem earum dandum eſſe. (3) quia Meſſias huic imprimis populo, quo cum Jehova foedus pepigerat, quique ideo υἱοὶ τῆς διαθήκης vocantur actor. III. 25. promiſſus, atque vi promiſſionis illis dandus erat, ad foedus illud ulterius ratificandum, omnesque ejus promiſſiones actu ipſo implendas. Cui ſententiæ eo magis aſſenſum præbeo, quia totus vaticinii hujus ſcopus in eo conſiſtere videtur, ut Judæis & Gentibus oſtendatur, quænam ſalutis beneficia, huic vel illi populo ſingulari modo priva, à Meſſia Mediatore exſpectanda haberent, quod idcirco diverſis phraſibus, duobus his populis peculiariter competentibus, aut ad unum ex eis ſingularem relationem habentibus, ſignificari convenientisſimum erat, quemadmodum & in ſequentibus hujus prophetiæ verbis alternatim fieri videbimus. Si vero quis, his non obſtantibus, gentes etiam vocabulo hoc includi velit, integrum ipſi ſit libertate & judicio ſuo uti. Licet autem populus Judaicus ſub hac voce עם intelligendus ſit, non tamen ſingula ejus membra nemine excluſo heic in cenſum veniunt, plurima enim populi hujus pars tempore Eſaiæ viam ſuam corruperat, ſeque nomine populi Dei indignam fecerat receſſione foediſſimâ à veſtigiis Patrum ſuorum, Deum, qui magnificaverat ipſum, deſerendo, rupem ſalutis vilipendendo, operibus legis juſtitiam quærendo, idololatria aliisque etnicorum vitiis & peccatis valde contaminata, unde foedus Dei violans atque irritum

24. 25. 26. 27. 28. 33. 29. 32. 30. 31.

faciens Israel fieret etiam לא עם non populus Hos. I. Sed verum Abrahæ semen innuo, genuinos Israelitas, in quorum spiritu non est dolus. Ps. XXXII. 1. mansuetos terræ Es. XI. 4. populum pauperem tenuemque, quem Deus in medio ejus relinqueret, qui se reciperet ad nomen Jehovæ Zeph. III. 12. 13 electum Dei servum Israelem, quem formaverat, nomineque suo vocaverat, ut ipsi sit in populum ad enarrandam gloriam suam Cap. XLI. XLIII. veras Zionis & Hierosolymæ filias, superstites Israelis, qui reliqui Zioni & residui Hierosolymis sancti vocabuntur Cap. IV. cum Haggæo desiderium Gentium, & Simeone consolationem Israelis exspectantes cum gaudio & veræ fidei ardentissimo desiderio.

§. XX.

Huic populo Messias *daretur in foedus.* ברית foedus variè à variis derivatur. Quidam deducunt a ברא quod nonsolum *creare* & per similitudinis jus *ordinare, disponere* διατίθεσθαι denotat, eodem modo ac κτίζειν apud Judæos Helleniſtas, unde Petrus ἐξουσίαν ab hominibus constitutam ἀνθρωπίνην κτίσιν vocat 1 Petr. II. 13. observante GROTIO ad inscript. N. T. quâ ratione indicatur ordinatio & dispositio certa tam Personarum, quam officiorum, nec non poenarum & præmiorum, quæ in testamentis & foederibus tam obedientibus quam transgressoribus adsignari solent, sed etiam in pihel *dissecandi, succidendi* significatum habet, quia foedera olim nonsolum apud Judæos sed & Græcos Latinosque sciſſis animalibus sanciri, & qui foedus coibant, interdum per dissectas victimarum partes transire solebant, cujus ritus respectu Judæorum antiquissima reperimus vestigia in divina foederis cum Abrahamo erectione Gen. XV. 9-18. coll. Jerem. XXXIV. 18-20. de quibus consuli possunt BONFRERIUS & A LAPIDE in Gen. XV. & Exod. XXIV. Sive id tum primum a Deo jussum, sive ex consuetudine populorum assumtum sit, utpote apud quos idem mos obtinuit, quemadmodum de Cynæthensibus POLYBIUS narrat Libr. IV. p. m. 398. Ἐπὶ τῶν σφαγίων τὰς ὄρκους ἐποιοῦντο καὶ τὰς πίστεις ἐδίδοσαν ἀλλήλοις *super mactatas victimas jus jurandum ac fidem invicem præstabant.* & de Græcis & Lati-

nis non pauca in virorum Eruditorum ſcriptis HOMERI LIVII PAUSANIÆ VIRGILII teſtimonia afferre poſſemus ſi opus eſſet, unde phraſis hebraica כרת ברית chald. גזר קים Græca ὅρκια τέμνειν Latina *ſecare, percutere, ferire, inire foedus* reſpiciunt, foedus autem a *foedando*, ſive ſanguinem fundendo dicitur. Quo ritu apud veteres populos, imprimis gentiles ſignificabatur, eos hac ratione foedus pangentes, non modo arctiſſimo religionis & juris jurandi vinculo incluſos eſſe, jamque in unum quaſi corpus coaluiſſe, ſed & violatores foederis dignos eſſe, ut quemadmodum hæ victimæ diſſecarentur cujus antiqua & diriſſima formula apud LIVIUM extat Libri I. quando ſcribit: *Illis legibus populus Romanus prior non deficit: Si prior defecerit, publico conſilio, dolo malo, tu illo die Jupiter populum Romanum ſicferito, ut ego hunc porcum hodie feriam, tantoque magis ferito, quanto magis potes pollesque.* Quem ſenſum citata Jeremiæ verba ſecundum comminationem divinam etiam fundere videntur. Apud Judæos autem vera Dei religione imbutos ſublimius aliquod myſterium adhuc præfigurabat, idemque animalia illa mactata & diſſecta in foederibus quod in ſacrificiis denotabant, ſcilicet foedus divinum cum hominibus erectum, in futuro Meſſiæ ſacrificio conſummatiſſimo fundamentum unicum habere, Deumque ſine ſacrificio Filii ſui cum peccatoribus foedus inire nullo modo poſſe, quemadmodum Pſ. L. 4. diſerte dicitur, ſanctique hunc in finem congregandi proponuntur, ut ſuper ſacrificio nempe Filii ſui futuro vera fide apprehendendo foedus ſecent; cujus rei ratio manifeſta eſt in toto ſacerdotio V. T. & imprimis Chriſti, illius vero antitypo, quæ nunc prolixius exſequi nolo. Coeterum de hoc more & ritu erigendi foedus plura deſiderans adeat BOCHARTUM Hieroz. Part. I. Libr. II. Cap. 33. p. 325. OWENUM. Theologum Libr. III. Cap. 2. GROTIUM de jure Belli & Pacis Libr. II. Cap. 13. n. 10. Alii, ut BUXTORFIUS & COCCEJUS à ברה. derivant, quod mox comedendi, mox eligendi ſignificationem admittit, quibus calculum adjicio. priori ſenſu reſpicitur ad morem in erigendis foederibus uſitatiſſimum, quo ea ſolemnibus conviviis iisque lautiſſimis confirmari ſole-

bant, quæ exinde Epulæ foederales vocabantur & cum convivio & mensa tesseræ erant sinceræ & duraturæ amicitiæ, pacis ac foederis, quæ apud Judæos observantibus OUTRAMO & SAUBERTO de sacrificiis apud Tabernaculum & Templum instituebantur. Unde phrasis איש שלומי *vir pacis meæ* לחמי אוכל *qui comedit panem meum* Ps. XLI. 10. lucem foeneratur. Nec minus Profani fidem requirebant ab iis, qui ejusdem mensæ participes redditi fuissent SYNESIO perhibente epist. 57. mensa Ἱερὸν χρῆμα res valde sacra erat. OVIDIUS Lib. VI. Fastor. v. 305.

Ante focos olim longis considere scamnis
Mos erat & MENSÆ CREDERE ADESSE DEOS.

Coeterum exempla profana conviviorum foederalium suppeditat STUCKIUS in Antiq. Convival Libr. I. Cap. 40. sacra vero extant Genes. XXVI. 28-30. XXXI. 54. 11. Sam. III. 20. Imo etiam foedus cum Deo factum, convivium sequebatur, cujus memorabile exemplum legimus Exod. XXIV. 8-11. Posteriori autem sensu, quo electionem denotat, omnium optime foederi applicatur, quia in eo voluntaria electio personarum, inter quas, rerum, de quibus, & conditionum, super quibus pactum initur, locum habet. Græci utuntur mox voce συνθήκη estque foedus verè δίπλευρον, mox autem quando foedus aliquod μονοπλευρον esse concipitur voce διαθήκη, quæ Testamentum notat, ut pluribus ex ISOCRATE, DEMOSTHENE aliisque probat BUDÆUS in Comment. ling. Græcæ. Cum autem Testamentum propriè certam quandam dispositionem voluntatisque declarationem innuat, qua ad certa quædam bona alicui jus conceditur, & id quidem sæpe numero sub certis & determinatis conditionibus fieri solet, hoc casu cum foedere coincidit, ejusque formam induit. Hinc est quod LXX. Interpretes cum scriptoribus N. T. ברית plerumque per διαθήκην vertunt & usurpant, ita ut mox tanquam foedus mox ut Testamentum consideretur, aut etiam, si utrumque conjungere placet foedus testamentarium vel Testamentum foederis appelletur, cujus ratio in morte testatoris quærenda est, quemadmodum

dum hoc imprimis ex PAULI epistolis patet, qui frequentissimam V. T. phrasin sanguinem ברית foederis per sanguinem διαθήκης Testamenti explicare & vertere solet, quia foedus Dei cum hominibus in testamento gratiæ fundatum, imo morti servatoris ut Testatoris superstructum est. Utraque igitur significatio in plerisque S. S. locis de foedere agentibus commodissime conjungi & permutari potest ac debet, hoc tantum discrimine observato, ut notio Testamenti præcipuè ad æternum gratiæ ante jacta mundi fundamenta propositum, foederis autem ipsam ejus in tempore executionem respiciat. Si jam à determinato vocis sensu originali ad ipsam rei naturam transeamus, foedus propriè denotat pactum aut conventionem inter duas pluresve Personas de mutuis conditionibus præstandis, promissione aut comminatione utrimque firmatam. Hujuscemodi varia inter homines dantur genera, vel enim inter partes æquales mutui auxilii & commodi promovendi causa panguntur, quemadmodum Escol & Aner cum Abrahamo Gen. XIV. 13. Isaacus cum Abimelecho. XXVI. 28. 29. Jacobus cum Labane XXXI. 44. David cum Jonathane 1. Sam. XVIII. 3. quorsum etiam spectant foedera conjugalia inter maritum & foeminam de mutua amoris, fidei, & societatis præstatione, foedera pacis inter populos eorumque Capita de mutuo auxilio & defensione sibi invicem exhibenda, vel inter inæquales quoque locum habent, quemadmodum à Principibus & Ducibus cum devictis populis interdum ex mera benevolentia fieri solet. Nullibi autem se majus admirationis theatrum pandit quam in foedere, quod Deo Enti supremo & Perfectissimo cum subditis sibi creaturis suis rationalibus erigere placuit, cum partes contrahentes à se invicem toto coelo differant, de quo S. paginæ innumeris in locis mentionem injiciunt, & per vocem ברית à foederibus humanis desumtam & ad divinum translatam, exprimere solent. Denotat enim de foedere divino usitata *suavissimas Dei vias, actiones & media, quibus homines creaturas rationales ex mera erga illos benevolentia & amore ad beatissimam*

mam sui communionem & amicitiam perducere & secum tanquam arctissimo unionis vinculo sociare vult, certis sub officiis & conditionibus præstandis, vitam æternam coelestem omnisque generis felicitatem promittendo, & certis signis ac pignoribus quasi obsignando, quibus homines à parte sua adstipulantes, postulatorumque obedientiam spondentes implentesque, jus restipulandi promissiones divinas legitimum consequuntur. Tale inter Deum & homines re vera intercedere foedus, aut conventionem, obscurius ex natura, clarius ex revelatione cognoscitur. Ex natura, quia conscientia dictat, Deo fas esse obedientiam ab homine stipulari, & eundum ceu optimum omnisque boni datorem sincero amore prosequendum esse, imo Deum ut summum bonum non frustra diligi, sed amanti se fruendum impertiri, quemadmodum naturalis summi boni appetitus, non incassum homini inditus, insuper & sine omni dubio confirmat. Ex revelatione, ut pote quæ innumeris locis de foederibus divinis cum hominibus initis sermones facit. Imprimis duplex foedus hominis diverso statui & conditioni accommodatum, nimirum foedus Operum & Gratiæ, illud cum homine integro, hoc cum corrupto sancitum, quibus alia foederum genera vel speciales eorum partes subordinatæ, aut in eis fundatæ sunt, expressis verbis commemorat, tum ea sibi mutuo opponendo, ut Rom. XI. 6. *Quod si per gratiam, non jam ex operibus, alioquin gratia non fit sive comperitur, si vero ex operibus, non est gratia, alioquin opus non esset opus:* tum utriusque leges ac discrimen indicando ut Rom. III. 27. *Ubi igitur gloriatio? excluſa est. Per quam legem? operum? non: sed per legem fidei.* Per legem operum eam Apostolus intelligit doctrinam, quæ viam monstrat, quâ mediantibus operibus obtinetur salus: per legem fidei, eam, quâ fide in servatorem Christum impetrari queat. Prius vocatur foedus *Operum*, nec non *legis* & *naturæ* quia operibus potissimum ab homine præstandis nitebatur, lege enim præscriptum, operibus observandum & ipsæ hominis naturæ superstructum erat, utpote fluens ex natura hominis Deo naturaliter subjecti obedientiamque postulans

naturali

naturali lege mandatam, in quâ omnes naturæ vires impendere debebat: posterius vero nomen foederis gratiæ gerit, quia ex mera Dei benevolentia & misericordia secundum æternum gratiæ propositum profluit & erigitur, salutem hominis non ex operibus legis sed ex gratia Dei & merito Servatoris derivat, adeoque tam postulata quam promissa ejus cooperante spiritus sui auxilio impleri & obtineri docet, ad laudem gloriæ gratiæ ipsius, ita ut Deus in hoc foedere sit omnia in omnibus. Ex his utriusque discrimen facili negotio conspici potest, quod ulterius adstruere nolo, cum notissimæ sint veritates, in scriptis Theologorum ubivis obviæ, nihil insuper addens, nisi generalem de utroque foedere descriptionem, & brevissimam utriusque paraphrasin. Foedus operum complectebatur illam conventionem sive pactum, quod Deus cum creato primo homine Adamo in tegro ceu capite totius generis humani considerato inivit, quo is ab homine perfectam legis tam naturalis quam revelatæ de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali obedientiam stipulatus, æternam ei obedienti coelestemque promisit vitam, transgressori vero æternam mortem comminatus est, cui postulato homo annuens obedientiamque spondens promissam & sub signis ac sigillis ipsius paradisi & arboris vitæ corroboratam coelestem vitam summa certitudine exspectare poterat. Tale inter Deum & primum hominem foedus intercedisse, præcipuæ ejus partes, à Mose Cap. II. Gen. recensitæ, licet expresso foederis nomine non utatur, extra omnem dubitationis aleam ponunt, quibus enumerandis & ulterius adstringendis nunc supersedeo, cum id ab omnibus Theologiæ systematicæ scriptoribus abunde satis demonstratum sit, ad quos idcirco avidum Lectorem ablego. Hoc autem foedere per peccatum primi hominis intra breve temporis spatium transgresso, & summa idcirco miseria mortisque periculo ad omnes ejus posteros sine discrimine introducto, cum nulla jam caro propriis legis operibus consistere & justificari amplius queat, siquidem כאדם sicut Adam foedus transgressi sunt Hos. VI. 7. Deus secundum multi-

fariam ſuam ſapientiam cum ſumma φιλανθρωπία conjunctam, novam cum miſero peccatore in gratiam redeundi viam eligere & calcare debuit, quo amiſſam in communione ſua vitam recuperare poſſit. Et hoc eſt quod Revelatio docet mediante Foedere gratiæ fieri, quando innumeris locis de eo mentionem injicit, veramque ejus naturam & formam perquam evidentiſſime deſcribit, ſcilicet conſiſtere illud, in gratuitâ inter offenſum Deum, & lapſum peccatorem electum conventione, qua ei ex mero beneplacito extra omne meritum amiſſam juſtitiam, vitamque æternam, uno verbo omnia ad ſalutem ejus in communione Dei obtinendam neceſſaria bona & beneficia in Chriſto Filio ſuo, conſtituto hujus Foederis mediatore ob perfectiſſima ejus merita, ſub conditione veræ fidei, reſipiscentiæ & ſanctitatis promittit, quibus peccator adſtipulans, obedientiamque divinitus poſtulatam exsequendam ſpondens, indubitatum promiſſa à Deo foederis beneficia flagitandi jus conſequitur. Non opus eſt veritatem hujus foederis ex S.S. teſtimoniis confirmatam dare, cum ſinguli fere libri ejus de hoc pacto Dei gratuito loquantur, qui à cupido ſalutis ſuæ conſuli poſſunt debentque. Præcipua extant loca apud Eſaiam Cap. LIV. 10. LV. 1-3. Jerem. XXXI. 31-34. XXXII. 38-41. Ezech. XXXVII. 26. 27. Non plane tamen ſilentii peplo involvere poſſum egregiam ſanciendi hujus foederis formulam, quam Moſes exemplo populi Israelitici præſcribit Deut XXVI. 16-19. notabilibus hisce verbis: *Hoc die Dominus Deus tuus præcipit tibi facere ſtatuta & judicia hæc - - - Dominum juſſiſti dicere hodie, quod factus ſit tibi in Deum, & quod ambules in viis* ipſius -- *& Dominus juſſit te dicere hodie, quod factus ſis ipſi in populum peculii &c. Confer.* Es. XLIV. 5. Hoc ſuaviſſimum Dei cum electis peccatoribus pactum re & ſubſtantia unum perpetuum & immutabile fuit, quod omnes foederis *partes* & *actus* probant. *Partes* quæ inde ab initio usque ad Eccleſiæ finem eædem, Deus offenſus, homo offendens, & Mediator Jeſus Chriſtus idem heri & hodie, & in ſæcula Hebr. XIII. 8. cujus gratia ſalvati Patres ac in gloriam adducti

ſunt.

sunt. Act. XV. 11. Hebr. 11. 10. *Actus* quia semper adeoque etiam in V. T. Deus salvandis tum stipulando mandavit fidem & resipiscentiam, quod exemplum Abrahami docet, cui fides ad justitiam imputata estGen. XV. 6. coll. Röm. IV. 11. nec non reliquarum Patriarcharum, quorum fides, quæ in Christum fuit prædicatur. Hebr. XI. tum promisit & exhibuit justitiam in remissione peccatorum Ps. XXXII. 2. 5. Es. XLV. LIII. Jerem. XXIII. Dan. IX. adoptionem, quia filii Dei fuerunt Gen. VI. 2. Exod. IV. 22. sanctificationem Deut. XXX. 6. Ezech. XXXVI. vitam æternam, hinc Abrahamus dicitur exspectasse civitatem, quæ fundamenta habet Hebr. XI. 21. Jacobus salutem Domini Gen. XLIX. 18. Jobus & David de resurrectione sua ad vitam gloriæ coram facie Dei persuasi erant Job. XIX. & Ps. XVII. Proinde hoc foedus gratiæ, & doctrina de eo quoad essentialia una eademque fuit, quæ inde ab initio mundi statim post lapsum primis Parentibus annuntiata, Patriarchis repetita, Mosis tempore legis ceremoniarumque velo proposita, Prophetarum vaticiniis prædicta, tandem vero in tempore plenitudinis per mediatorem foederis effuso sanguine suo consummata est. Interim tamen negari minime potest, quoniam Deo propter multifariam sapientiam placuit Ecclesiam suam per varias oeconomias ducere, quoad modum dispensationis ingens inter foedus gratiæ ante & post Christum natum intercedere discrimen, quod sicuti alias oeconomiæ & Testamenti, ita non raro V. & N. foederis terminis exprimi solet, cum prius Messiam venturum, posterius re vera exhibitum proponat, prius sanguine hircorum & taurorum, posterius ipso Filii Dei sanguine pretioso ratificatum, prius ob impotentiam reconciliandi antiquatum & abrogatum, posterius in omni sua emphasi & gloria introductum, imo duraturum sit usque ad consummationem sæculorum. Unde servator à Paulo Hebr. VIII. 6. dicitur Mediator novi foederis meliorisque Testamenti sponsor præstantioribus promissis sanciti, quia illa sub N. T. ab ipso nonsolum actu impleta & parata sunt, sed & clarius proponuntur, majori & efficaciori mensura impertiuntur,

tiuntur, & latius ad ipsas gentes extenduntur, quorum foederis promissorum bonorum & beneficiorum epitomen Jeremias exhibet notissimo suo vaticinio Cap. XXXI. extante. Hoc sensu emphatico foedus etiam in nostra Propheria intelligi debet, quoniam tempora N. T. respicit, deque regno Messiæ inter Judæos & Gentes ad promovendam eorum salutem erigendo agit, ut in antecedentibus demonstratum fuit. Quemadmodum autem vox ברית non semper omnia, quæ ad foedus pertinent, includit, sed interdum synechdochicè has vel illas foederis partes innuit, (sicuti ex. gr. de postulatis vel præceptis foederis occurrit, quando fideles sæpius describuntur ut foedus Dei ejusque testimonium servantes Ps. XXV. 10. unde & ipse decalogus foedus audit Exod. XXXIV. 28. interdum quoque de his vel illis singularibus promissionibus, prouti promissio Noacho divinitus data, ipsum cum domo sua aquis diluvii non interiturum foedus appellatur Gen. VI. 18.) ita etiam hoc loco observantibus quibusdam viris Doctis, inter quos Cel. VITRINGA comment. ad h. l. imprimis nomen suum profitetur, notio foederis sensu strictiori, non tamen excluso sensu latissimo hactenus eruto, de singularibus quibusdam foederis gratiæ promissionibus accipi potest, idque eo magis, quia foedus hoc cum populo nimirum Judaico arctissime nectitur, atque adeo ad hunc populum pecularem relationem habere videtur. Si jam acta Dei cum hoc populo ejusque Patribus inspiciamus, imprimis foedus gratiæ, quod Deus cum eis præsertim Abrahamo Isaaco & Jacobo pepigit, apparet, varias ei à Deo insertas esse promissiones singularem ad eos respectum habentes, & ad solatium simul quam ad commodum & salutem eorum vergentes. Summa enim foederis, quo hic respici possit, eo redit: *in semine Abrahami benedictum iri omnes Gentes terræ* Gen. XXII. 18. Deum *semini Abrahami fore in Deum* hoc est Deum perfectæ salutis Gen. XVII. 8. *Populum Dei calcaturum celsa terræ* Es LVIII. 14. & quæ his similia. Quibus coincidit locus parallelus Cap. XLIX. 8. *Egote custodiam, & dabote in foedus populi ad erigendam terram*

&

& *pro hæreditate distribuendas hæreditates desolatas* hoc est ad erigendum regnum inter Gentes, & occupandam hæreditatem Gentium. Coeterum de voce ברית deque re ipsa prolixius commentati sunt, quotquot doctrinam de foederibus divinis excoluerunt, ex nostris COCCEJUS, BURMANNUS BRAUNIUS, WITSIUS, LAMPIUS, ex Lutheranis JÆGERUS, MAIUS, PFAFFIUS, BUDDÆUS aliique. Summè emphatica porro est dictio, quâ Pater hic de Filio suo utitur, quando eum considerat vocatque *Foedus* populi. Hoc enim fit sensu improprio Metonymice, ut in Rhetorum scholis nuncupari solet, eodem modo, uti alias spes populi, salus populi, & quæ hujus modi plura sunt appellatur. Est enim foedus populi (1.) quia ipse unica hujus foederis causa, & basis, unicum fundamentum & fulcrum est, cui totum gratiæ peccatori exhibendæ negotium superstructum est, sine eo enim ejusque satisfactione perfectissima Deus sanctus & justus nunquam cum homine in gratiam redire ullo modo potuisset, cum jam sacrificio expiationis per ipsum oblato ira Dei judicis placata, & populo suo via patefacta est, ad Deum & gratiæ suæ thronum accedendi, novumque pacis foederalis amicitiæque vinculum erigendi. Unde foederati vera Dei populi membra dicuntur & hortantur foedus secare super sacrificium Messiæ scilicet Filii Dei, quod in plenitudine temporis per mortem crucis Patri offerret, illud vera fide amplectendo, & sic pacem cum Deo faciendo Psl. L. 4. Hanc ob causam Messias in scriptis N. T. *Mediator*, & *Sponsor* melioris foederis aut Testamenti audit 1. Tim. II. 5. Hebr. VII. 22. IX. 15-17. qui non solum inter Deum & peccatorem intercessit, solutionemque pretii redemtionis promisit in æterno pacis consilio ante jacta mundi fundamenta, sed & in tempore implementi à Prophetis prædicto omnia, quæ sponderat, actu ipso plenissime præstitit, veniens semet ipsum tradendo pro peccatis nostris, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem, reconciliaretque Deo per crucem in uno corpore. Eph. II. Tit. II. (2.) quia Messias Filius Dei unicum hujus de foede-

re doctrinæ objectum est, omnia enim, quæ circa hanc doctrinam in verbo Dei revelata sunt, ad eum præcipue spectant & respiciunt, omnia foederis hujus tam postulata quam promissa, ab ipso & in ipso originem habent, & revera obtinentur, implenturque. 2. Cor. I. 30. in eo vocantur fideles ad communionem Patris, ejus merito aqua & spiritu regenerantur, in eum credere oportet, per ejus redemtionem justificantur, suo spiritu sanctificantur, imo ejus gratia hæredes evadunt vitæ æternæ juxta spem vivam. (3.) quia totum foederis negotium trino, quod ipsi concreditum est, munere in salutem populi sui absolveret & consummaret. Tanquam summus Propheta lætum hujus foederis gratiæ nuntium clarissime doceret, quod nonsolum in προτευαγγελιω & deinceps variis apparitionibus, quæ patriarchis contigerunt, factum est, sed & per doctrinam Prophetarum sequentibus V. T. temporibus propius explicatum fuit, donec ultimis diebus tam per ipsum ut angelum foederis in terra orali doctrina, quam deinceps post discessum ejus & exaltationem in coelis per apostolos, & verbi divini ministros in plenissima luce sua prædicaretur, hortantes orantesque homines salutis suæ cupidos, ut reconcilientur Deo, 2 Cor. V. 20. confer. Ps. XXII. 23-31. XL. 7-12. LXVIII. 10-13. 25-27. Ut verus omnium V. T. sacerdotum antitypus summus Pontifex Testamentum & foedus gratiæ non cruore animalium sed proprio eoque pretiosissimo sanguine ratificaret, ad amovendam populi sui iniquitatem uno die, & peccatorum remissionem consummatissimam, quemadmodum Cap. LIII. apud vatem nostrum fusius docetur, & à scriptoribus N. T. præsertim Paulo in Epist. ad Hebræos implementum hujus rei in Christo summo Pontifice ad evidentiam usque indicatur. Ut unicus Populi sui Rex & Dominus post purificationem peccatorum sanguine suo in terra præstitam, ad dextram gloriæ patris constitutus in coelis, omnibus foederis hujus bonis & beneficiis salutaribus populum suum largissima mensura cumularet, ita ut pauperes famelici & esurientes comedendo bonum saturarentur, oblectaretque se

hac

hac pinguedine anima ipsorum. confer. Ps. XXII. 27. XXXVI. 8-11. LXV. 5. Es LV. 1-3. Jerem. XXXI. 11-14. 25. 33. 34. XXXII. 38-42. Denique (4.) quia, cum certâ ad populum suum ex Judæis relatione, ratum faceret foedus populi, hoc est, ut populo huic præstet promissa ipsi in Abrahamo foedere divino data, ac juramento confirmata, & re vera implendo curet, ut populus obtineat promissam Gentium hæreditatem, ut scilicet illæ cum vero Abrahami semine sub uno Pastore ac Domino, iisdem fidei, amoris & sanctitatis vinculis in communione Dei unitæ, unum Dei populum concernerent, qui sub uno foedere redactus, saluberrimorum ejus donorum ad promovendam salutem æquali jure & mensura particeps fieret, quo tanquam arctissime sociatus coetus, unaque grex sub uno Moderatore omnes & singuli nomen Dei invocent, ipsique serviant humero uno, quemadmodum Propheta noster Cap. XI. hanc populi Dei ex Judæis & gentibus amicam unionem & communionem emphaticis prædicit ac describit locutionibus, cum quibus conferenda sunt, quæ leguntur Cap. II. 1-4. LX. passim. Jerem. III. 15-20. Zeph. III. 9. 10.

§. XXI.

Et hoc ipsum est, quod in oraculo nostro sub altera phrasi exprimitur, quando Messias Filius Dei à Patre suo non-solum promittitur ut foedus populi ex Judæis, sed qui etiam aliis in orbe nationibus nomine Gentium complexis vera salutis causa fieret, addens לאור גוים *in lucem Gentium.* De vera significatione & sensu originali vocis גוי sub quâ, in plurali numero posita, Gentes plerumque in S. Codice occurrere solent, pauca tantum prælibabo, & quid eâ propriè innuatur, propius ostendam. Nimirum vox hæc, observantibus viris Doctis linguarum orientalium peritissimis radicem suam apud Ebræos non invenit, sed potius apud Arabes quærenda est, quod variè à variis instituitur. KROMAYERUS de usu linguæ Arabicæ pag. 132. eam deducit à rad. Arabicis, quæ denotant erravit, aut aperuit, texit. Verum

hæc

hæc longius perita sunt, rectiusque derivatur à radice Arabica, quæ venit consensit denotat, in tertia conjugatione convenit convocavit, consensit in unum, quia populus est multitudo inter se ad mutuam societatem conveniens, atque in unum consentiens. Denotat itaque vox גוי in genere magnam hominum multitudinem sive societatem una origine, ingenio, moribus, & lingua inter se convenientem, prærogativis hisce ab aliis distinctam, propriumque terræ tractum occupantem. confer. COCCEJUS & STOCKIUS in Lexicis fol. 131. & pag. 180. Hanc ob causam nonsolum singulis opponitur hominibus Job. XXXIV. 29. ועל גוי ועל אדם יחד & *super gentem & super hominem pariter*, sed & de quocunque populo ab aliis distincto sine discrimine usurpatur. Ita de Ismaele Deus promisit Abrahamo Gen. XVII. 20. ונתתיו לגוי גדול & *faciam ipsum gentem magnam* atque antea de ipsomet Gen. XII. 2. ואעשך לגוי גדול & *faciam te gentem magnam.* de populo Ægyptiaco dicitur Exod. IX. 24. tanta grandinis multitudo non fuit in Ægypto מאז היתה לגוי *ex quo gens fuit.* Sic & de populis etnicis terram Cananæam incolentibus, ab Israele autem exstirpandis passim in ultimis Mosis libris sumitur, quod ulteriori probatione non indiget. Præterea vox hæc, licet plerumque in numero singulari, de ipso populo Israelitico, à Deo exclusis aliis electo, & in populum peculii assumto, non raro occurrit. Exod. XIX. 6. appellatur גוי קדוש *populus sanctus.* Deut. IV. 6. עם חכם *populus sapiens* & גוי גדול *gens magna* confer. Es. I. 4. X. 6. jer. V. 9. Zeph. II. 1. 9. Imo cum verus Dei populus sub oeconomia N. T. secundum Dei promissiones per testimonia prophetarum corroboratas ex gentibus æque ac Judæis constaret, utpote per præconium evangelii ad communionem regni Messiæ & partorum per ipsum bonorum adducendis, non pauca adsunt loca, ubi de toto Messiæ populo, in diebus N. T. ipsi ex utraque natione congregando, promiscuè tam in singulari quam plurali numero occurrere solet. Hoc sensu sine dubio accipi debet in promissione notissima à Deo facta Abrahamo Gen. XXII.

XXII. 18. & benedicentur in ſemine tuo כל גוי הארץ *omnes gentes terræ*. confer. Pſ. XXXIII. 12. Es. II. 2-5. atque ita etiam heic loci per גויים Judæi æque ac etnici intelligi poſſent, ſiquidem Meſſias ut ſol juſtitiæ Israelitis exoriturus eosque luce evangelii ſpiritusque ſui colluſtraturus eſſet, ut in luce ſua verum viderent lumen. Pſ. XXXVI. 10. 11. Es. XLVIII. 17. Sed cum dudum, hoc non obſtante, ab Eruditis obſervatum fuerit, vocem גוים in plurali numero poſitam, licet non ſemper, cum & in plurali de Judæis occurrat, quando ſe vitiis gentilium inquinaverant, & nomine populi Dei indignos fecerant, uti fit ex. gr. Jerem. I. 5. V. 9. 29. IX. 9. Ezech. II. 3. plerumque tamen ſecundum mentem ſpiritus ſancti in ſcriptis prophetarum gentes ſic dictas, nimirum omnes reliquos totius terrarum orbis undique diſperſos populos, à cognitione & cultu veri Dei & politia populi Judaici excluſos deſignare, eos etiam heic loci cum maximè in cenſum venire, imo potiſſimum & ſolummodo hac voce innui exiſtimo. Partim, quia cum voce עם populum Judaicum κατ' ἐξοχήν denotante, ut antea demonſtratum fuit, conjungitur, eique contra diſtinguitur & opponitur, partim, quia vox hæc in loco parallelo Cap. XLIX. 6. populis etnicis diſertis verbis applicatur, partim, quia ſcopus vaticinii noſtri præcipuè eò tendit Judæis & Gentibus peculiariter oſtendere, quænam ſalus ex promiſſa Meſſiæ vocatione unicuique populo, ſingulari, ipſique privâ ratione ac modo emanaret, Judæis enim daretur in foedus, ut nimirum promiſſam ipſis in hoc foedere hæreditatem imprimis gentium obtinerent, gentibus vero in lucem, ut lumine verbi ſpiritusque ſui colluſtratæ, à nativa coecitate liberarentur, ſicque ad ſalutarem Meſſiæ unici ſalvatoris cognitionem & communionem pervenirent. Quamvis enim Meſſias Judæos & Gentes ſimul illuminaturus eſſet, negari tamen nequit, etnicos, qui huc usque lumine ſervatoris caruerant, radiis ejus præcipue colluſtrandos eſſe, cum Jehova luce ſua jam antè Israelitas perfudiſſet, ideo apud vatem noſtrum Cap. X. 17. אור lux Israelis vocatur. Apparet itaque ex

iis, quæ hactenus differui, perquam evidentissime, per גוים hoc loco nihil aliud quam Gentes, adeoque omnes sine discrimine populos in toto terrarum orbe dispersos, prouti cognitione & cultu veri Numinis & politia populi sui Israelitici hactenus destituti erant, intelligi posse ac debere. Si ad statum harum gentium attendamus, tempore Esaiæ, aliorumque sub V. T. viventium prophetarum, Messiæ adventum antecedente, valde erat miserrimus deploratissimusque. Cum enim summo Numini visum fuerit per immutabile decretum suum ad manifestandas multifariæ sapientiæ ac indeterminatæ libertatis suæ divitias in diebus V. T. semen Abrahæ populum nempe Judaicum ex omnibus terræ nationibus in peculium assumere, & foedere cum ipso erecto, sanctissimisque ipsi præscriptis legibus, præ aliis mundi populis glorioſum reddere, reliquos vero omnes, sub nomine gentium complexos, siverit propriis incedere viis, & ambulare secundum cogitationes cordis, & concupiscentias carnis suæ, recta Dei cognitio, verusque cultus pedetentim inter gentes cessavit, omnisque generis impietas tam religionem, quam vitam moresque earum, licet lento progressu, depravavit, ita ut Deo sanctissimo abominabiles evaderent. Non enim in eâ hæremus opinione, quemadmodum sententia ferè universim recepta refert, posteros Noachi vel, secundum quosdam, brevi antè, vel, secundum plurimos, mox post diluvium à vero Dei cultu in idololatriam omnisque generis peccata & vitia prolapsos fuisse, ut cultus multorum Deorum & simulacrorum cum vitâ & actionibus scelestissimis se maturime per omne genus humanum diffuderit, populosque terræ sic dictas gentes miserrimum in modum corruperit. Licet enim verissimum sit, post transgressam à communi hominum Parente Adamo, à Deo propositam legem de non edendo vetitæ arboris fructu, omnium mortalium unâ in eo lapsorum mentes plusquam cimmeriis tenebris obnubilatas, & singulari divinæ imaginis prærogativa spoliatas fuisse, non tamen statim post mundum conditum, populorumque dispersionem & separationem à familia Patriarchali universa

versa reliquorum hominum nationumve cohors in temerariam summi Dei ἀτιμίαν, imo, quod magis est, in pessimam animarum seductricem idololatriam, ex quâ tanquam ex fonte, malorum omnium sentina profluxit, prolapsa est, siquidem, quemadmodum ex sacris & profanis monumentis constat, verus Dei cultus ejus revelatione nixus, & in arca Noachi exercitus, ad posteros ejus non Semi solum sed & Japheti & Chami, adeoque ad omnes ex his ortas gentes propagatus, diuturno post diluvium tempore floruit, & à Deo ipso singulari cura etiam per media extraordinaria conservatus fuit. Falsus quidem simulacrorum & idolorum cultus, non minus maturè etiam post diluvium, inter gentes exortus fuit, inter plurimas tamen, easque cultiores, lento gradu proserpsit, licet apud aliquas citius, apud alias tardius increverit, uti pluribus & solidissimis argumentis demonstravit insigne Gymnasii patrii ornamentum Vir Celeb. Doctissimus. & Magnif. NIC. NONNEN Præceptor quondam meus summè devenerandus, nunc autem, de quo mihi valdè gratulor, in uno munere Collega conjunctissimus faventissimusque, in biga Dissertationum de vestigiis religionis Patriarchalis inter Gentes sub V. T. & quidem à diluvio ad commorationem Israelitarum in Ægypto. Postea vero gentilismus brevi tempore caput extulit, majoraque incrementa coepit, præcipuè quando populus Judaicus terram cananæam jussu & auxilio Dei occupabat, utpote èx quâ populi etnici ob horrendam, quâ se polluerant idololatriam, & gravissimis, quibus iram Dei in se provocaverant, vitiis ac sceleribus, justo judicio expulsi erant, donec tempore reditus hujus populi ex Babele in Canaanem inclinante ad adventum sospitatoris, omnis generis idololatria, vitæque malitia laxatis quasi habenis gentium animos invasit. Hoc per quam evidentissimè elucebit, si modo, licet brevibus, vel religionem & cultum, vel vitam & mores earum inspiciamus. Quod enim religionem & cultum gentium attinet, ille tam subtili quam crassâ idololatria depravatus, conspurcatusque erat. Respectu prioris neglecto Deo, &

rejectâ coelestis vitæ medulla, rerum terrestrium putamina, & carioſos ſectabantur cortices; *alii dum bibunt, edunt, dormiunt tantum, nec unquam altius aſſurgunt, alii dum voluptatibus vitam atterunt, quas vel bruta ipſa aspernentur, & reſpuant, unde fit, ut tam multi auro, argento, ærimancipent ſeſe, ut tam multi etiam in humano corpore, plantæ brutive vitam vivant, atque in mundanis rebus nefaria quaſi idololatria cultis ſummum bonum quærant*, prouti loquitur MORNÆUS de verit. Relig. Chriſt. Cap. XVI. p. m. 358 unde à Deo in ſacris literis Epheſ. V. & Col. III. ii. idololatræ nuncupantur, qui non tam in ſummo numine, quam mundanis rebus atque terreſtribus fiduciam ſuam collocant, quare & ad Philip. III. venter illorum Deus dicitur. Reſpectu poſterioris vero gentes, proh dolor, omnem modum & menſuram transgreſſæ ſunt. Ad innatam enim ipſis cum omnibus hominibus de vero Deo tanquam Ente perfectiſſimo ideam debitè non attendentes, cum, quæ in hoc univerſo contemplationi noſtræ continuo objiciuntur, convincere illas omnino debuiſſent, mundum & omnes ejus partes providentia quadam divina ab initio conſtitutas eſſe, & etiamnum gubernari, imo ſe ipſas non eſſe à ſe, neque ſubſiſtere per ſe, ſed in alio vivere, moveri, & eſſe, facili negotio evenit, ut perverſis deceptæ ratiociniis ex ignorantiâ & defectu veræ Dei ideæ ortis, effecta illa falſis applicaverint ſubjectis, atque adeo iis, qui natura non erant Dii, ſerviverint; Imo cum deprehenderint in hoc univerſo multas res, à quibus boni vel mali aliquid proficisci putabant, quasque adeo amabant vel metuebant, ex amore boni vel metu mali coluerunt, cauſam primam cum ſecundis confundendo, variosque ſibi Deos fingendo, majores, minores, bonos, malos &c. multiplicato Deorum Dearumque incredibilem in modum numero. Inde nonſolum corporum coeleſtium ſolis, lunæ, ſtellarumque cultus originem duxit, quoniam cum maxime ſol orbem illuſtrat ac vegetat, horumque omnium influxu ac miniſterio plurima vitæ humanæ impertiuntur emolumenta, verum ipſa etiam bruta animalia, & ne quid omnino demen-

dementiæ deesse videatur, arbores, legumina fruges cum piscibus maris crocodilo, & similia alia divino honore ac cultu affecerunt, iisque spreto ac neglecto vero illo Deo, rerum omnium moderatore, simulacra passim & templa abominandæ superstitionis & βδελύγματος plenissima erexerunt. Quo infando crimine præter ipsos Judæos, nefario nonnunquam κακοζηλίας studio in transversum actos, se imprimis antiquis temporibus Ægyptii contaminarunt, quorum proinde insaniam salsè exagitat JUVENALIS satyr. XV. statim ab initio.

Quis nescit Volusi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars hæc, illa pavet saturam serpentibus Ibim
Effigies sacri nitet aurea Cercopitheci,
Dimidio magicæ resonant ubi Memnone chordæ,
Atque vetus Thebæ centum jacet obruta portis!

Et mox ita subjicit

Porrum & cæpe nefas violare & frangere morsu;
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina!

Eodem modo cum gentium vitâ ac moribus comparatum erat. Quanquam enim optimi inter eas imprimis philosophi quoad externa vitam gerebant politam, modestam variisque virtutibus conspicuam, quâ ratione multos Christianorum sub lumine revelationis degentium infinitis parasangis antecellunt, quemadmodum luculentissima & summe admiranda hujus rei specimina ac testimonia exhibet PFANNERUS in Theol. Gent. variis in locis, nihilominus tamen quoniam actiones eorum regulæ legis divinæ non convenirent, neque verâ fide neque ad gloriam Dei sed propriæ laudis causa instituerentur, revera nihil aliud quam splendida vitia erant. Sed plurima imo maxima gentilium pars spissæ veri Dei ignorantiæ indeque profluenti crassæ superstitioni ac idololatriæ vitam jungebat impietate sceleribusque plenissimam. Non enim ambulantes ex præscripto Dei & rationis, sed secundum concupiscentias & voluntatem

carnis omnis generis peccata, horenda eaque nefanda crimina ac vitia inter eas commissa esse videmus. Perversæ mentis cogitationes, obscoena oris eloquia, impurissima ac injustissima opera & facta vitam moresque earum foedissimo modo polluebant. ἀσέλγεια in obscoena libidine, scortationibus, adulterio aliisque carnis voluptatibus, tum etiam in cibo & potu, quatenus comparata sunt ad lasciviam, animam corpusque invaserat, neque pro peccato reputabatur, unde proverbium inter eas vulgatissimum erat, *non est flagitium adolescentulum scortari.* Imo optimi & sapientes Gentilium aliquando non verebantur adulteria & scortationes patrare, de quibus TERTULLIANUS Apol. Cap. 39. in hæc erumpit verba? *O sapientiæ Atticæ O Romanæ gravitatis exemplum! Leno est Philosophus & censor.* Evidentissima horum peccatorum indicia exhibent publica hunc in finem apud Gentium populos in honorem Veneris Deæ amoris erecta templa, quale ex. gr. in urbe Corinthiaca conspiciebatur, ubi ingens meretricum copia communibus sumtibus alebantur, quæ exinde, imprimis apud Babylonios, Persas, Medos, aliosque orientis populos sancta & publica scorta nuncupabantur, uti CURTIUS Libr. 5. ATHENÆUS, STRABO aliique docent. Non desunt inter Doctos, qui putant divinum legislatorem ad illa respexisse Deut. XXIII. 17. ut BONFRERIUS in h. l. & JACOB. TIRINUS in Josuam autumat, Rachabam eis annumerandam esse, dicens? *verisimile est, fuisse publicum scortum & forsan ex iis sacris scortis, quæ in honorem Deorum. V. gr. Lunæ, quæ in Jericho maximè colebatur, corpora sua prostituebant.* Quicquid autem hac de re sit, id tamen certum est, Diabolum tanquam Deum hujus mundi, & principem tenebrarum, imo principem potestatis aeris, tum temporis regnum suum inter gentes obtinuisse, eosque ad idololatriam omnisque generis flagitia excitasse, operationes suas exserens in filiis inobedientiæ. Plura hunc in finem facientia brevitatis causa silentii peplo involvo, cum viri Eruditi hac in parte nobis otia fecerint, qui de gentilium idololatria & depravatis

tis vitæ moribus ex professo egerunt, ut VOSSIUS de idololatr. Gentilium aliique bene multi, qui consuli possunt. Nec dissentit sacra scriptura, utpote quæ in libris tam V. quam N. T. statum & conditionem populorum etnicorum passim iisdem proponit verbis. Apud vatem nostrum varia extant loca Cap. XL. 15-20. XLII. 17. XLIV. 9-20. Imprimis scriptores N. T. interque eos Paulus constitutus à Deo Gentium Doctor in Epistolis suis ad illas missis cultum & vitam earum graphice describit, præcipué ad Rom. I. vs. 21-31. ubi de gentibus in sensum reprobum traditis queritur Διότι γνόντες τὸν θεὸν, οὐχ ὡς θεὸν ἐδόξασαν, ἢ εὐχαρίστησαν ἀλλ' ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία. φάσκοντες εἶναι σοφοὶ, ἐμωράνθησαν. καὶ ἤλλαξαν τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου θεοῦ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου, καὶ πετεινῶν καὶ τετραπόδων καὶ ἑρπετῶν. Διὸ καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ θεὸς ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῶν καρδιῶν αὐτῶν εἰς ἀκαθαρσίαν. τοῦ ἀτιμάζεσθαι τὰ σώματα αὐτῶν ἐν ἑαυτοῖς. K. T. λ. *propterea quod non cognoscentes Deum, tamen ut Deum non glorificaverunt, neque gratias ei egerunt, sed vani facti sunt in ratiocinationibus suis, & obtenebratum est cor eorum intelligentiæ carens. Quum se sapientes dictitent, stulti facti sunt. Mutarunt enim gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem corruptibilis hominis, & volucrium, & quadrupedum, & reptilium. Quamobrem etiam tradidit eos Deus cupiditatibus cordium ipsorum ad impuritatem, ut foedarent corpora sua inter se.* & sic porro usque ad finem Cap. confer. Cap. II. 9-18. Ephes. II. 1-3. 11. 12. IV. 17-19. 1. Petr. IV. 3. Hanc ob causam in S. Codie plerumque occurrunt, ut justissima iræ divinæ & contemtus populi sui objecta, ex gr. Ps. IX. 16-18. CX. 6. CXVIII. 10 12. unde Ecclesia Deum rogans introducitur *Effunde æstum tuum in eas gentes, quæ non agnoscunt te, & super regna, quæ nomen tuum non invocant.* P. LXXIX. 6. appellatur gens stulta Deut. XXXII. 21. gens, quæ non agnoverat populum Judaicum, & ab eo vicissim non agnoscebatur, hoc est non amabatur, ad communionem mutuam excercendam Es. LV. 5. internecino enim contra gentes flagrabat

rabat odio, partim ob ſpiſſam, quâ contaminatæ erant idololatriam, partim ob ſeparationem, quam lex Moſis & inſtituta circumciſio inter Judæos & gentes poſtulabant, partim ob multas calamitates & perſecutiones, quas ab eis ſuſtinere debebat, partim ob innatum huic populo faſtum & ſuperbiam, qua ſe ſapientiorem juſtiorem & meliorem gentibus habebat, partim ob prævaricatas, quas imbiberat, opiniones, Meſſiam regnum terreſtre erecturum, in quo omnes alios terræ populos ſub pedibus ſuis & in poteſtatem ſuam redacturus eſſet, partim denique ob ingentem, quâ contra eas agebatur, invidiam, quia nationes iſtæ ſecundum vaticinia prophetarum in diebus N. T. cum populo Judaico ſub uno capite Meſſia arctiſſimè unitæ, comparandorum per ipſum melioris foederis bonorum ſalutis æquali jure & menſura participes evaderent, à quibus tamen gentes planè excludi optabat. Hinc appellare eas ſolebat canes, non circumciſos, & ex contemtu, nomine apud ipſos minus honeſto גויים obſervante VITRINGA in Jeſ. T. I. p. 458. qui tamen fatetur non ubique hanc ſignificationem obtinere, ſed colligendam ex circumſtantiis orationis confer. LEIGH crit. ſacr. pag. 60.

§. XXII.

Ingens itaque imo ſalutis & ſolatii plena erat promiſſio, quæ miſerrimis hisce gentilium populis à Deo Patre impertitur, Meſſiam Filium ſervumque ſuum electum eis fore *in lucem* לאור. Quid propriè lux ſit, notius eſt, quam ut multis deſcribatur. Eſt illud, ne ſcilicet philoſophemur de naturâ lucis, cujus ope omnia Dei in toto mundo manifeſtata opera videntur, & quæ ita omnia patefacit, ut eſt Epheſ. V. 13. ut poſſimus accuratè res intueri ac cognoscere, veras rerum ſpecies recipere, & unam rem ab aliâ per ſuam magnitudinem, figuram, aliasque proprietates diſtinguere: ejus etiam ope ambulamus & operamur rectè, ea quoque ut illuminat, ita vegetat, & calefacit, & exhilarat nihil magis hominem luce. lux eſt dulcis, bonumque oculis

lis adſpicere lumen Eccleſ. XI. 7. habet in ſe etiam puritatem & ſplendorem; ſed de proprie dictâ luce hic non eſt ſermo. Nihil uſitatius eſt in ſcripturâ quam lucem ſumi impropriè & ſymbolicè pro eo, quod habet cum luce naturali ſimilitudinem, quod illuminat & facit cognoscere, quod purificat ſive ſanctificat, quod vegetat & exhilarat ſpiritualiter, quodque ſplendorem ſive gloriam in ſe habet, ita, ut lux ſit emblema cognitionis, ſanctitatis, lætitiæ, felicitatis, gloriæ &c. Primo lux emblema eſt cognitionis, quoniam cognitio vera inſtar lucis ſe habet; uti enim lux facit, ut omnia objecta videantur, ita ut ſunt, ita ea quoque eſt vera cognitio, quæ facit, ut recte cognoscamus & quaſi videamus tum Deum, tum nos ipſos, tum opera Dei, tum beneficia Dei, tum noſtra officia, tum finem noſtrum, & bonum, tum viam ad illud. Ita ſumitur quando Job. XXIV. 13. ſermo eſt de rebellantibus luci, quales ſunt, qui agunt contra dictamina conſcientiæ & veritatem in injuſtitiâ detinent, & ita etiam verbum Dei Pſ. CXIX. 105. Coll. Prov. VI. 23. & Es. II. 5. vocatur lux & lucerna, quia eſt principium veræ cognitionis, & in eo revelatur, quicquid cognoscendum eſt ad Dei gloriam & noſtram ſalutem, unde & duo illa lucem & veritatem conjungi videmus Pſ. XLIII. 3. ideo Apoſtolus Epheſiis apprecatur illuminatos mentis oculos, ut videant quæ ſit ſpes vocationis Eph. I. 18. V. 8. Eſt etiam ſignum ſanctitatis, tum quia in ſanctitate eſt puritas, uti in luce, ut non ſit mixtura vanarum cogitationum & deſideriorum, tum quia ſanctæ actiones ſunt actiones lucis, id eſt tales, quæ conveniunt cum iis actionibus, quas quis ope lucis recte peragit; nam eæ demum actiones verè ſanctæ ſunt, quæ cum Judicio fiunt ſecundum lucem intellectus poſt ſeriam δοκιμασίαν. Ita ſervator vult, ut fidelium lux ſplendeat coram hominibus, id quod in ſeq. exponitur bona opera hominibus conſpicienda præbere Matth. V. 16. Col. I. 12. Zach. XIV. 7. Denique ſymbolum eſt lætitiæ, beatitudinis, & gloriæ, quoniam lux omnium rerum pulchritudinem & gloriam oſtendit, & ita delectat oculos, gratoque nos afficit ſenſu. Sic Jobus

Cap. XXX. 26. queritur: *præstolatus sum lucem venit caligo.* ita etiam sumi existimo Cap. XVIII. 5. & Prov. XIII. 9. quando *lux impiorum dicitur extinguenda.* hinc lux, lætitia, gaudium, & gloria conjunguntur Esther. VIII. 16. & Ps. XCVII. 11. coll. CXII. 4. Quod autem gloriæ imaginem exhibeat, clare patet ex sancto sanctorum, ubi lux illa vocabatur gloria Domini conf. Luc. II. & Matth. XVII. ubi lux consideratur ut symbolum gloriæ. imo summa fidelium felicitas in futura vita appellatur hæreditas sanctorum in luce. Col. I. 12. Earundem qualitatum lux quoque symbolum est apud profanos auctores. Sapientiæ. Hinc illud Aristotelis apud DIOG. LAERTIUM vs. 17. ἡ μὲν ὅρασις ἀπὸ τῦ περιέχοντος ἀέρος λαμβάνει τὸ φῶς, ἡ δὲ ψυχὴ ἀπο των μαθημάτων. *Adspectus quidem à circumfuso aere lumen accipit, animus autem à disciplinis liberalibus.* EURIPIDES in fragmentis a GROTIO conservatis p. 431. ad Jovem

Πέμψον μὲν φως ψυχαῖς ἀνέρων
Ταῖς βυλομέναις ἄθλυς, προμαθεῖν &c.

Tu lucem animis infunde virûm, qui scire volunt, quo sata mentis lucta sit ortu. Puritatis, mentisque in melius mutatæ. LUCIANUS Nigrino: Εχαιρον δ'αῦ ὥσπερ ἐκ ζοφερῦ τινος ἀέρος τῦ βίυ τῦ πρόσθεν, ἐς αἰθρίαν τε καὶ μέγα φῶς ἀναβλέπων. *Gaudebam vero iterum tanquam ex tenebricoso quodam aere prioris vitæ ad serenitatem, & magnam quandam lucem respiciens.* CICERO Ep. Fam. IV. 3. *quasi lumen aliquod extinctis coeteris elucere sanctitatem tuam.* Frequentissimè lux occurrit pro statu felici & prospero, indeque redundante lætitia, cujus rei exempla adducit ELSNERUS in Matth. IV. 16. & FRID. CHRIST. NEUBOUR Annotat. Philol. in N. T. Bibl. Brem. Cl. I. p. 247. 248. Addo tantum ARISTOPHANEM vespis vs. 969.

Ηδισον φάος ἡμέρας
Εσαι τοῖσι παρῦσι καὶ
Τοῖσιν ἀφιγμένοισιν
Ην κλεῶν ἀπόληται

Suavissima lux diei orietur & præsentibus & post nos futuris

si

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862227305/phys_0094
DFG

si Cleo perdatur. Cum autem hæc attributa perfectissimo modo Deo insint, hinc tam apud sacros quam profanos auctores lux emblema est Deitatis. ita Deus triunus 1. Joh. I. 5. disertis verbis appellatur *lux, in qua non sunt tenebræ.* Confer. Jacob. I. 17. & Ps. CIV. 2. Antiquissimos tam Ægyptios quam Babylonios sub nomine lucis Deum coluisse, vel ex nominibus *Hori* & *Oromasdis* constat. Magorum veterum doctrinam expressurus, quisquis fuit, oraculorum ZOROASTRIS auctor, lucem tanquam à Patre genitam considerat vs. 30. πατρογενές φάος nominans. Aliorum Philosophorum placita collegit, sed & venenum *lucis corporeæ* Deo ab illis adscriptæ detegit CLAUSINGIUS in dissertat. *An Deus lux sit proprie dicta.* Quomodo summam Dei perfectionem soliti fuerint luci conferre videre est ex JAMBLICHO de myster. Ægypt. I. 9. ubi confer THOM. GALE in notis. Memorabilis quoque ORIGENIS locus de Brachmanibus Philosophum. Cap. XIV. Αυτοὶ τον θεον φῶς εἶναι λέγουσι, οὐχ ὁποῖον τις ὁρᾷ· οὐδ' οἷον ἥλιος καὶ πῦρ, ἀλλὰ ἐστὶν αὐτοῖς ὁ Θεὸς λόγος, οὐκ ὁ ἐναρθρός, ἀλλ' ὁ τῆς γνώσεως, δι' οὗ τὰ κρυπτὰ τῆς γνώσεως μυστήρια ὁρᾶται σοφοίς. τουτο δὲ τὸ φως, ὃ φασι λόγον τὸν θεον αὐτοὺς μόνους εἰδέναι βραχμᾶνες λέγουσι. *Hi Deum dicunt esse lucem, non qualem quis adspicit, aut qualis sol vel ignis, sed est Deus illis verbum, non hoc articulatum, sed illud cognitionis, cujus ope occulta notitiæ mysteria cernuntur à sapientibus. Hanc vero lucem, quam vocant verbum Deum, ipsos solos novisse Brachmanas, dicunt.* Hinc in luce habitare Deos suos credidere gentiles, ut ex HOMERO probat DU PORTUS Gnomol. Hom. p. 176. 177. & radiantes illi vultus tribuerunt &c. Apud Muhammedanos lux quoque inter XCIX. Dei nomina refertur, uti probat MARACCIUS Not. ad surat. XVII. 109. Imprimis autem Filius Dei, promissus Messias in libris tam V. quam N. T. nomen lucis gerit, & sub hac imagine populo suo proponitur. Ita ex. gr. David Propheta & Rex Israelis, vir secundum cor Dei in cantico cygneo eum vocat & comparat cum *luce matutina sine nubibus, oriente sole, (ubi mox) à splendore (solis) post pluviam gra-*

men è terra (oritur) nec non Ps. XXVII. 1. per fidem consi-derat eum ut *lucem* & salutem suam. ille est *lux Ecclesiæ, quæ super & in illâ oriretur, tenebris terram & nationes operientibus, ut gentes cum Regibus suis, ad splendorem & gloriam ejus accedere possent*, quemadmodum apud vatem nostrum Cap. LX. 1-3. dicitur, nec non Cap. IX. 1. ubi maximo inter lumina mundi, æquiparatur, soli scilicet, quando appellatur *lux magna, quam populi in tenebris ambulantes viderent, quæque super considentes in terrâ umbræ lethalis splenderet.* Unde & expressis verbis sol & clypeus populi audit. Ps. LXXXIV. 12. Sol justitiæ nomen Dei timentibus exoriturus, sub cujus alis vera populi sui sanatio inveniretur Mal. IV. 2. Nec minus in scriptis N. T. Sub nomine lucis venit. Zacharias eum describit cum allusione ad auroram aut potius solem ἀνατολὴν ἐξ ὕψους ortum solis, ut appareret iis, qui in tenebris & umbra mortis positi essent. Luc. I. 78. 79. Simeon canus ille senex servatorem in carne manifestatum & in templo à Parentibus adductum ulnis suis excipiens ex oraculo nostro aliisque Prophetarum vaticiniis depingit ut *lumen gentibus detegendum & gloriam populi sui Israelis* Cap. II. 32. Præcursor ejus Johannes nonsolum de illo ut *vera illa luce testabatur, quæ veniret in mundum ad illuminandos homines tenebris obmersos* Joh. I. 7-9. Sed ipse incarnatus, & in publicum prodiens, creberrime se ut lucem proponebat, præcipue apud Johannem Evangelistam variis in locis Ex. gr. Cap. VIII. 12. loquitur de se ipso dicens ἐγώ εἰμι τὸ φῶς τῦ κόσμου. ὁ ἀκολουθῶν ἐμοὶ, οὐ μὴ περιπατήσει ἐν τῇ σκοτίᾳ, ἀλλ' ἕξει τὸ φῶς τῆς ζωῆς. *Ego sum lux illa mundi: qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ. confer.* Cap. I. 4. 5. III. 19-21. XII. 34. 35. 46. Et certe non sine sonticis rationibus Messiæ nomen lucis tribuitur. Est enim primo revera lux, quà Deus per divinam suam essentiam, quia cum Patre & spiritu sancto est verus Deus 1. Joh. V. 20. benedictus supra omnes in sæcula Röm. IX. 5. Æqualem cum eis realitatem omnimodamque deitatis perfectionem pari gradu possidens utpote ἐν μορφῇ Θεοῦ *in forma Dei.* Philip.

Philip. II. 6 ἐν ᾧ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς. *in quo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.* imo quâ Filius Dei lux pura ex clariſſimo lumine modo nobis incomprehenſibili nata. ὃς ἐστὶν εἰκὼν τοῦ θεοῦ τοῦ ἀοράτου qui eſt imago Dei inviſibilis Col. I. 16. ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτου *effulgentia gloriæ & character perſonæ illius* qui radios gloriæ divinæ, quâ gaudebat, in operibus naturæ & gratiæ, nec non in ſtupendis, quæ patravit, miraculis luculentiſſimè demonſtravit. Unica inſuper tam in ſe ipſo, quam reſpectu creaturarum imprimis rationalium veræ perfectionis, ſapientiæ, ſanctitatis, lætitiæ ac beatitudinis cauſa & ſcaturigo. Præcipuè autem ei nomen lucis competit quâ mediator; quoniam omnium lucis attributorum, quatenus per imaginem Dei reſtauratam in peccatore excitantur, auctor eſt: lucis cognitionis ac ſapientiæ per munus propheticum mittendo lucem veritatis ſuæ populo ſuo, eumque erudiendo, quâ viâ incedendum ſit Pſ. XXV. 4. 5. XXXII. 8. XLIII. 3. Es. XLVIII. 17. *lucis ſanctitatis* per munus Regium ſubditos ſuos ſanctificando in veritate, & cordibus eorum à peccati ſordibus per aquam meriti ſui purgatis, per ſpiritum ſuum adaptando ad obedientiam legi & præceptis ſuis præſtandam in vita ſancta bonisque operibus ſecundum beneplacitum ſuum incedentes, unde regnum ejus regno tenebrarum opponitur Col. I. 13. lucis beatitudinis per munus ſacerdotale comparando & applicando eis juſtitiam unicè coram Deo valentem ad conſcientiæ requiem, imo omnimodam ſalutem in ſpem vivam vitæ æternæ & plenæ beatitudinis in communione Dei aliquando in coelis exſpectandæ. Ut brevibus omnia complectar, ille ut vera & perfecta lux omnia attributa nonſolum ſed et effecta proprii luminis populo ſuo improprie præſtat & exſerit, mentis intellectum illuminando, voluntatem ſanctificando, conſcientiam reconciliando, animam & corpus ab inquinamentis carnis & ſpiritus purgando, uno verbo calefaciendo, vegetando &c. efficit, ut in cognitione Dei, fide, amore, ſpe, aliisque virtutibus crescens, omnisque boni operis

fructum proferens ipsi per omnia placeat; quemadmodum qui rem emblematicam ex professo pertractarunt, ut RUIMIGIUS HONERTIUS D'OUTREINIUS aliique in explicatione hujus symboli, & facta ad Messiam applicatione, fusius indicare solent, qui consuli possunt. Interim egregia illa Messiæ tanquam veræ lucis effecta & attributa quondam in V. T. populo Dei Israelitico variis sub figuris & symbolis præfigurabatur, adeoque notio lucis de Messia ei non plane ignota erat. Huc pertinet insignis ille splendor, quo olim Dominus Israeli in miraculosa ignis columna in deserto noctu prælucebat, cum iter suum versus canaanem prosequeretur, ne aberraret à recta via. quorsum alluditur Es.IV. 5.6. IX. 1. LX. 1. 2. Nec non אורים in pectorali Pontificis Maximi, quæ ansam dedisse, ut Messias Christus lucis nomine sæpius in scriptura descriptus veniat ipse SPENCERUS sub finem Dissert. de Urim & Tummim existimat. Sed & lucem candelabri sacri huc referri posse DEILINGIUS obs. sacr. II. 32. demonstrare allaborat, licet emblema columnæ longe illustrius & generalius, duo postrema autem specialiora esse videantur. Mirum proinde non est, quod Judæorum Magistri in scriptis suis per hanc lucis notionem Messiam frequenter designarearent. Insignis in hanc rem locus est in libro antiquo PESIKTA allegatus in JALKUTH Jes LX. quem plurimi Christiani contra Judæos attulerunt, ita incipiens: *Ecclesia Israelitica dixit coram Deo B. Mundi Arbiter ob legem, quam mihi dedisti fons vitæ appellatam, futurum est, ut me LUCE TUA oblectem. Hæc LUX autem videtur esse LUX CHRISTI q. d. (Gen. 1. 4.) VIDITQUE DEUS LUCEM ILLAM ESSE BONAM; quo docemur, quod Deus B. ad sæculum Christi & opera ejus respexerit, antequam mundus creatur, & quod LUCEM ILLAM Christo & sæculo ejus sub throno gloriæ suæ condiderit. Satanas dixit coram Deo B. Mundi Arbiter, LUX, quam subthrono gloriæ tuæ condidisti, cujus est? Respondit: Illius, qui te repressurus est, & pudore suffusum daturus. Rogesit Satanas: ostende mihi eum. Respondit Deus: Veni & vide eum. Postquam autem eum Satanas*

tanas vidit, contremuit, cecidit que in faciem ſuam, dixit que: Revera hic eſt CHRISTUS, qui me & nationes in gehennam conjecturus eſt &c. Et deinceps: Tradidere Magiſtri noſtri: Eo tempore, quo Rex Meſſias veniet, ſupra tectum Templi ſtabit, & Israelem inclamabit, dicendo: Manſueti, advenit tempus redemtionis veſtræ, & quod ſi credatis, contemplamini lucem meam, quæ ſuper vos exoritur &c. Eundem locum attulit R. MOSES HADARSCHAN in Bereſchit Rabba ad Gen. I. citatus a RAYMUNDO Pug. Fid. II. 11. Ex eodem ſua hauſit R. BECHAI Comment. in legem fol. 4. Col. 3. ויאמר אלהים יהי אור לרמז על ימות המשיח שהזכיר בו הכתוב קומי אור *Dixit Deus fiat lux. Typice voluit oſtendere tempora Meſſiæ, quorum ſcriptnra hac locutione meminit ſurge, illuminare.* Multa quoque ſuppetunt exempla, quod in locis, in quibus de Luce Dei ſermo eſt, non raro altius ad Meſſiam ascendunt. Sic v. gr. in Sepher ſeu Commentario in Pſalmos ex variis collecto verba Pſ. XLIII. 3. *Mitte lucem tuam & veritatem tuam* de Meſſia R. ALSCHEICH aliique intelligunt. Eò quoque reſpiciunt Chaldæi Paraphraſtæ verba, ex quibus locus Evang. Joh. I. Cap. inſignem mutatur lucem. ille enim vocabulum אור de Meſſia occurrens, ſæpe interpretatur verbum Jehovæ eſt lux, ubi λογον ὑποσατικον ſive illum intelligit ſermonem, quem Johannes veram vocat lucem illuminantem omnes homines in mundum venientes Cap. I. Ex his omnibus itaque, hactenus de vera lucis notione & ſignificatu pertractatis facilè liquet, quando heic de Meſſia prædicitur, eum fore lucem Gentium, eò indicari, Meſſiam gentes in toto terrarum orbe diſperſas, cimmeriisque ignorantiæ, idololatriæ, & impietatis tenebris hactenus immerſas luce verbi & ſpiritus ſui, ad obtinendam de Deo vero rite colendo cognitionem, colluſtraturum, imo lumine ſanctificationis per eundem ſpiritum imbuiturum, ut à diis ſtercoreis & omnibus inquinamentis purgatæ in luce faciei ſuæ ambularent, & ſanctimoniæ â Deo præſcriptæ operam navarent, quidquod luce ſimul veri nominis lætitiæ ob remiſſa per juſtitiam Meſſiæ applicatam

catam crimina refocillaturum in ſpem vivam, quod cum fidelibus ex Judæis hæredes forent vitæ æternæ â Deo promiſſæ, & ſic participes evaderent ſortis ſanctorum in luce ad plenam animarum beatitudinem, quemadmodum vaticinia Prophetarum, interque ea noſtri præcipuè vatis, longe antè prædixerunt vide. Pſ. XXII. 28-32. LXXXVI. 9. 10. LXXXVII. 4-7. Jes. II. 2-5. IX. 1. 2. XXIX. 18. 19. XXXV. 5-10. LX. per totum ferè Caput. Jerem. III. 16-19. Mich. IV. 2. Zeph. III. 9. 10. Zach. VIII. 20-23. XIV. 16. 20. 21. Ad tam ardua munera & negotia in ſalutem Judæorum & Gentium ſuſcipienda Meſſias ſe non propriâ auctoritate introducturus, ſed Pater ejus unica hujus inſignis beneficii cauſa & origo foret, promittit enim tam Meſſiæ quam Eccleſiæ ejus in ſolatium ואתנך & *dabo vel tradam te.* vox נתן generatim quidem dandi notionem habet, unde donis, quæ alter alteri dat, adjungitur Gen. XXV. 6. ſpeciatim vero notat dare rem ut ſit, hoc eſt nascatur, excitetur, dare rem, ut alicubi ſit, hoc eſt ponatur, collocetur, proponatur, ut cum aliquo vel alicujus ſit in uſum & peculium, dare quoque rem aut perſonam ut talis ſit, vel aliis præſit, id eſt conſtituere aliquem ſuper rem vel homines, præficere aliquem aliis Gen. XLI. 41. quemadmodum multa diverſæ hujus ſignificationis ex circumſtantiis rerum colligendæ exempla è ſacra ſcriptura adducunt COCCEJUS, STOCKIUS aliique Lexicographi. Pater itaque de Filio ſuo hic prædicens, *tradam te*, promittit ſe Filium aut ſervum ſuum ad ardua hæc munera obeunda nonſolum conſtituiſſe & ordinaſſe in æterno pacis conſilio, ſed etiam quâ talem ſuo tempore re vera excitaturum, facturumque, ut præter ordinarium naturæ curſum ex immaculatâ virgine nasceretur Es. VII. 14. quando foemina ambiret virum Jer. XXXII. 22. Se porro eum grati regiique muneris ad inſtar populo ſuo donaturum, quando Eccleſiæ nonſolum ut puer nasceretur, ſed & ut Filius daretur Es. IX. 6. ut in munere hoc egregio, totaque, quam compararet, ſalute lætaretur gloriarique poſſet. Nec minus, innuitur Meſſiam, quando in carne manifeſtatus, & poſtea

per

per passiones consummatus, imo in præmium peracti laboris ad dextram Patris majestate coronatus fuit, ut foedus populi & lumen gentium publice propositurum per præconium evangelii, ut omnes in eum credentes non pereant, sed vitam æternam accipiant. Patrem denique Messiæ benedictiones dispositurum, ut larga mensura Judæos & gentes ad plenam salutis consummationem cumularet in sempiternum Ps. XXI. 7. Ephes. I. 3. Gal. III. 13.

§. XXIII.

Quod autem ex hac benevolâ Filii à Patre suo constitutione in foedus populi & lucem gentium hi fructus & effecta salutifera essent promanatura, in altera oraculi nostri parte commate 7. summe emphaticis phrasibus ad utrosque populos alternatim relationem habentibus, ulterius indicatur. לפקח עינים עורות להוציא ממסגר אסיר מבית כלא ישבי חשך *ad aperiendum oculos coecos, ad educendum è carcere vinctum, è domo claustri sedentes in tenebris.* Quæ verba, cum specimen hoc præter omnem spem & opinionem in nimiam molem excrescere video, brevibus tantum, & paraphrasticâ potissimum explicatione illustrare studebo. In antecessum tamen & hoc monere habeo, disquisitionem hic formari à Viris Doctis, ad quænam subjecta hæc promissa constitutionis Messiæ in foedus populi & lucem gentium effecta & fructus referenda sint, quibusdam tres phrases hujus commatis, in quibus hæc subjecta describuntur, solis etnicis, aliis vero partim Judæis partim gentibus applicantibus. Me quod attinet, negare non possum, quin re rite considerata, sententiæ Cel. VITRINGÆ (salvis tamen aliorum opinionibus) calculum adjiciam, qui putat Comment. in h. versum *per coecos oculos* à Messia aperiendos, Judæos & gentes simul, *per vinctum in carcere* populum Judaicum, ejusque statum sub V. T. *per sedentes in domo claustri in tenebris* iterum gentiles indigitari. Quod quam decenter fieri possit, ex ipsa verborum explicatione propi-

us elucebit. In priori itaque hujus commatis parte primus vocationis Messiæ, ejusque traditionis in foedus populi & lucem gentium fructus his verbis proponitur לפקח עינים עורות *ad aperiendum oculos coecos.* Oculi proprie nihil aliud sunt quam instrumentum visionis, ad id dati, ut recipientes objectorum species, eos deferant ad mentem, atque ita eorum ope objecta videntur in verâ magnitudine, figura, colore &c. sunt proinde quasi mentis fenestræ, quarum ope homo conditiones, modos, aliasque rerum visibilium circumstantias distinctè contemplatur, & omnibus impressa divinæ potentiæ, sapientiæ, atque bonitatis stupenda vestigia admiratur. Oculorum beneficio homo aptus natus est ad utile à noxio distinguendum, ac præsens periculum vitandum, adeoque vias ad exitium ducentes relinquendas, rectam contra semitam calcandam. Improprie à Spiritu Sancto sub oculorum emblemate speciatim facultates mentis intellectus atque judicium in S. literis proponuntur, his quippe facultatibus homo non duntaxat rerum notitiam consequitur, atque rerum earundem idæas percipit, sed & res rimatur ac distinguit, imo si illis careret, nihil feliciter efficeret aut exsequeretur: inde Apostolus Ephes. I. mentionem facit oculorum intellectus illuminatorum confer. Ps. CXIX. 18. Apoc. III. 18. Deut. XVI. 19. dicitur munus excœcare oculos Sapientum, id est illorum pervertere judicium. COECI *oculi* sunt, quibus lux visus vel naturaliter deest, vel casu lumine oculorum orbati, tanquam multarum rerum ignari, ita etiam inidonei sunt, ad rem alicujus momenti suscipiendam, variis illisque exitialibus expositi sunt periculis, quæ visu pollentes declinant. Exhibent igitur in S. Codice emblema perturbati intellectus ac corrupti judicii, perversè de rebus divinis judicantis. Tale judicium in S. literis tribuitur secundum vultum aut carnem judicantibus Joh. VII. 24. VIII. 16. ejus originem Paulus describit Tit. III. 3. & de ejusmodi coecis differitur. II. Petr. I. 9. Apoc. III. 17. & qui illa laborant cœcitate Deum non noverunt Gal. IV. 8. vias ejus non cognoverunt Hebr. III. 10.

non

non percipiunt ea, quæ ſpiritus Dei ſunt I. Cor. II. 14. palpant cæcorum ad inſtar parietem, velut detecti oculis palpant Jeſ. LIX. 10. I. Joh. II. 11. periculis funeſtis exitiumque minantibus expoſiti ſunt, pedes illorum deſcendunt ad mortem, ad ſepulchrum greſſus pertinent Prov. V. 5. Ita ſeſe habet omnium mortalium naturalis conditio, eorumque cœci nati in Evangelio viva ſunt imago. Proinde Judæis æque ac Gentibus commodisſimè applicari poteſt, quod Cel. VITRINGA quem hac in parte ſequor l. cit. ſequentibus argumentis probare conatur: primo ex interpretatione Pauli ad hunc locum alludentis, ſive potius ex oratione Servatoris ad Paulum apud Lucam in Actis Apoſtorum Cap. XXVI. 18. *Eruens te ex hoc* POPULO *&* GENTIBUS, *ad quas te nunc mitto, ut* APERIAS OCULOS ILLORUM *& convertas eos à tenebris ad* LUCEM, *& à poteſtate Satanæ ad Deum.* Ubi per quam clarisſimè ad oraculum noſtrum reſpicitur, illudque quoad ſubjecta, quibus applicari debet, propius declaratur, dum beneficium illuminationis & converſionis ad utramque nationem tam Judæorum quam Gentium refertur. Deinde ex ipſa hac concione prophetica à. vſ. 16. 19. ubi vſ. 16. 17. de gentibus diſſeritur, illisque à Meſſia ipſo promittitur, ſe cœcos gentiles videlicet, qui huc usque ingenti laboraverant cœcitate, ducturum, oculorumque tenebras coram illis in lucem diſpoſiturum v. 18. 19. vero de Judæis ſermo eſt, quos ſic alloquitur? vos ſurdi audite, & cœci advertite oculos ad videndum. Quis cœcus niſi ſervus meus? &c. hoc eſt populus Judaicus, quem ego ad me colendum elegeram confer. Cap. XLIII. 8. ubi iterum utræque nationi tam Judæis quam Gentibus oculorum cœcitas adſcribitur. Et Certe quod Judæos attinet, eſti Deus iis verè revelaſſet doctrinam ſalutis, & non deeſſent in populo, qui fundamentum fidei & ſpei tenerent, exſpectantes conſolationem Israelis: judicium tamen vulgi de via ſalutis plane corruptum erat falſis præjudiciis, quibus Doctores Phariſæi illud imbuerant, &, ut probabile eſt, longe maxima pars hæſit in craſſa ignorantia rerum divinarum, ut

præter notitiam rituum quorundam religionis externorum nihil ſolidum & ſpirituale intellexerint. Gentilium vero ſimilis hic ratio erat, illisque ſenſu adhuc efficaciori cœci oculi competunt, utpote quem verborum nexus ſatis flagitare videtur, cum tanquam peculiaris eorum prærogativa conſideretur, quod Meſſias illis in lucem ſit dandus ad oculos coecorum aperiendos, id quod illis antea non evenerat. Profecto priſtinis temporibus Gentilium oculi ſummo cœcitatis gradu quaſi obducti erant: cognitio quippe illorum ac judicium de divinis rebus plane perturbatum ac depravatum erat, eoque detrahebantur à Deo atque cultu ſummum Numen decente, ita, ut loco veri Dei ſculptilia religione præcipua colerent vide v. 8. γνοϛόν τȣ̃ Θεȣ̃ quod illis innatum erat, præjudicatis opinionibus, carnisque voluptatibus ac pravis affectibus adeo obſcuraverant, ut ne Deum quidem cognoverint 1 Theſſ. IV. 6. qui vero Deum noverant, eum ut Deum non glorificaverunt. Perverſus enim de Deo & religione ſenſus ita corruperat judicium vulgi, ut cœcorum & excœcatorum inſtar in divinis & ſpiritualibus nihil plane viderent, nihil ſaperent, ſed palparent parietem Imo nec Philoſophi hic & oratores excludendi, licet Platonici cœteris plus viderint. Myſterium Evangelii omnibus promiscuè viſum eſt ſtultitia. Ingens itaque beneficium eſt, quod Pater hic promittit. *Se nempe Meſſiam vocaturum, & traditurum in fœdus populi & lucem Gentium* AD APERIENDUM *oculos cœcos.* Cœcos aperire oculos divinæ potentiæ monumentum eſt, & non niſi ingenti miraculo plane cœcis viſus reſtituitur, quemadmodum etiam Servator in diebus carnis ſuæ admiranda ſua potentia ejusmodi cœcorum oculos aperuit, imaginem gerentium ſpiritualiter cœcorum, atque mentis cœcitate laborantium. Spiritualiter igitur cœcos oculos aperire, eſt ſpiritualem tollere cœcitatem, turbatum intellectum, corruptum judicium removere, præjudicatas opiniones, pravos, eosque in peccata pronos affectus aufferre, ita, ut intellectus idoneus reddatur ad contemplandas divinas veritates, judicium ita illu-

illustretur, ut distincte eas rimetur, atque ita lumine oculorum spiritualium donatus prudenter sine offensione ambulet. Eodem modo Judæi & imprimis cœci Gentilium oculi apti reddendi erant ad veram cognitionem, limatumque de mysteriis fidei, evangelioque regni cœlorum judicium. Deus nempe promiserat, surdos audituros verba libri, & è caligine tenebrisque oculos cœcorum visuros Jes. XXIX. 18. coecorum tunc patefierent oculi & surdorum reserarentur aures Cap. XXXV. 5. ad hunc salutarem finem Messias tradendus erat in lucem, frustra enim lumine oculorum orbatus luce collustratur, si igitur Messias non inaniter lux foret, coeci oculi ab ipso aperiendi erant, ut in ejus lumine verum cernerent lumen. fieret autem hoc non duntaxat prædicatione evangelii, verum spiritu suo efficacissimè eos disponeret, lumineque suo corda illorum ita illustraret, ut doctrinam de Messia recte perciperent, trutinarent, æquumque de illa judicium ferrent, illi assensum præberent, atque sibi applicarent.

§. XXIV.

Hactenus primum vocationis Messiæ fructum, prouti se ad Judæos & Gentes simul extenderet, consideravimus, restat, ut coetera ejus effecta, utræque nationi peculiari modo priva, sub examen vocemus, quæ in posteriori hujus commatis parte, quæ itidem bimembris est, duabus non multum inter se differentibus phrasibus ita describuntur, & quidem primo respectu populi Judaici dicitur: לְהוֹצִיא מִמַּסְגֵּר אָסִיר *ad educendum è carcere vinctum.* Multi quidem Interpretum, inter quos viri facile Doctissimi nomina profitentur, prius hoc verborum membrum æque ac posterius immediatè sequens ad unum idemque subjectum gentiles videlicet referunt, quoniam de populo Judaico generaliter affirmari non possit, se vinctum in carcere à Messia liberaturum & educturum fore, siquidem vs. 22. huj. Cap. occurrat, non ut redimendus, sed ut in carcere manens, tanquam illaqueatus in antris, atque in carceribus latens nullo se defendente aut asserente. Sed licet hoc plane negari ne-

queat quoad maximam Judæorum partem, utpote quæ ob contemtum doctrinæ Evangelii de Messia eique denegatam obedientiam fidei non per ipsum redimenda, sed cum hostibus suis variis iræ suæ signis horrendis Judiciis exstirpanda erat, reperiebantur tamen hoc non obstante inter Judæos reliquiæ duntaxat secundum electionem gratiæ, qui apud prophetam nostrum Cap. IV. 1. 2. Superstites Israelis, qui relicti fuerint Zione, appellantur, serio fidei desiderio ortum solis post noctem, promissamque in Messia salutem exspectantes, qui idcirco omninò è funesto carceris statu, in quo vincti detinebantur, liberandi erant. advenerit enim Zioni vindex & conversis à defectione in Jacobo dictum Jehovæ Cap. LIX. 21. Sequimur itaque lubentes vestigia Cel. VITRINGÆ Loc. cit. prius hoc membrum populo Judaico applicantis, cum sensu emphatico in eum quadret. Hoc clarè patebit, quando prius pauciſſima tantum quoad illustrationem literæ præmiserimus. Olim apud orientalium populos in more positum erat, ut captivos, antequam carceri traderentur, oculorum lumine orbarent. Sic Philistæi antè oculos Simsonis effoderunt, quam eum in carcerem ducerent Jud. XVI. 21. & 11. Reg. XXV. 7. memoriæ proditum est, Zedekiam eccoecatum & vinctum in captivitatem Babylonicam deductum esse. Illum ad ritum heic etiam respici videtur, cum primo *coecorum oculorum*, deinde *carceris* mentio injiciatur, *è quo vincti per Messiam educendi erant*. *Carcer* proprie, ut notum, locus est, cui criminis alicujus rei mandabantur, & ut omni privarentur libertate, illisque omnis adimeretur aufugiendi occasio, compedibus vinciebantur. Sic de Jeremia legimus, eum vinctum fuisse catenis in medio totius multitudinis deportandæ Hierosolymis, & de Judæa in Babyloniam Jer. XL. 1. ideo etiam hic mentio fit VINCTORUM *in carcere*. memoratur quidem hic propriè אסיר *vinctus* in singulari numero, sed hoc fit more apud Hebræos usitatissimo, quo singularis pro plurali numero ponitur ad ingentem vinctorum numerum indigitandum ut Ps. LXXIX. 11. *perveniat ante faciem tuam gemitus vincti*,

vincti, hoc est multorum vinctorum. & Ps. CII. 21. ad *exaudiendum suspirium vincti* hoc est vinctorum ingenti numero. Si jam tota phrasis in unam colligatur summam *per vinctos in carcere* populus Judaicus ejusque tunc temporis status commodissime intelligi potest, ille enim creberrime in scriptis tam V. quam N. T. talibus, vel æquivalentibus phrasibus proponitur ac depingitur. Ita nonsolum alio apud Vatem nostrum loco, nimirum Cap. LXI. 1. Judæi tanquam vincti & captivi in ergastulo describuntur, sed & præcipuè apud Zachariam Cap. IX. 11. vocantur *vincti exspectationis* hoc est pressi à spe meliorum bonorum & temporum, ad quam se ardenti desiderio extendebant, eamque ob causam anhelantes ad libertatem filiorum Dei, quam à vero Messia unicè exspectabant. Imo, quod magis est eodem loco & versu appellantur *vincti in cisterna aquis vacua*, è qua tamen emittendi erant secundum Dei promissionem & quidem sanguine foederis. Sive hæc verba hunc fundant sensum: Jehovam Judæos emissurum è fovea peccati, atque potestate diaboli, quâ perinde, ut omnes mortales, natura tenebantur, & in qua siti spirituali periissent, nisi sanguine Filii Dei redimerentur: sive verba hæc de difficili onere legis ceremonialis capiantur, adeoque Jehovam heic promisisse, se Israelitas servitute hac liberaturum, atque libertate N. Foederis donaturum, idque sanguine melioris foederis. Qua de re pluribus agunt viri Docti, qui arduum hoc oraculum lucubrationibus suis illustrarunt, quosque magno numero adducit SCHETELIGIUS in Biblioth. Disput. Theol. part. I. p. m. 360. Eodem modo Status populi Judaici in scriptis N. T. consideratur. Ita ex. gr. Paulus, utpote in his rebus versatissimus, Judæos Gal. III. 23. vocat συγκεκλεισμένους *conclusos in fidem suo tempore revelandam* quippe privatos libertate & sub custodia τῶν παιδαγώγων per legem circumscriptos angustis cancellis, intra quos coacti erant consistere, & exercitationem suam constringere: simul etiam angustatos & pressos à conscientia peccati & exsecutionum legalium terribilium, sub quibus ad omnem legum

Mosaica-

Mosaicarum observantiam sub metu mortis obligati erant. Sed via redemtionis ex hoc captivitatis statu eis feliciter aperiretur per promissum Messiam, utpote qui & hunc in finem à Patre vocaretur & traderetur in foedus populi AD EDUCENDUM *è carcere vinctum* לְהוֹצִיא. verbum יָצָא in genere quidem quamcunque rei aut personæ egressionem è loco in alium denotat, ut §. X. & XII. ostensum est, specialiter vero in eâ, qua hic occurrit, flexione, nimirum in Conjugatione Hiphil significat egredi facere, educere aliquem, atque adeo eripere aliquem ex summa angustia & mortis periculo, vel à quocunque malo, quo premitur. Ita ex. gr. de liberatione Israelitarum ex servitute Ægyptiaca passim in scriptis Mosis usurpatur, nec non de servatore hujus populi divinitus excitato, qui eum egredi faceret, hoc est educeret & liberaret è potestate Regis Syriæ 11. Reg. XIII. 5. Eodem sensu & hoc loco capiendum est, innuiturque adeo, quando Pater Filium Messiam traditurum promittit in foedus populi AD EDUCENDUM *è carcere vinctum*, illum populum suum ex gente Judaica verum, non solum ex potestate satanæ, peccati & mortis, sub qua naturaliter cum omnibus Adami posteris, tanquam in carcere captivus & vinctus detinebatur, liberaturum, omni nocendi potentia eis ademta, superatisque infensissimis his a servatore per mortem crucis hostibus, sed & imprimis populum hunc à jugo legis ceremonialis difficili & intolerabili, cui sub poena mortis per omnem vitam servitium præstare debebat, asserturum, imo à Patribus carnis, strenuissimis hujus legis pædagogis, qui populum hunc, prout ipsis videbatur, castigabant, fortiter vindicaturum, totum legis hujus choragium umbratile tanquam corpus implendo, & Tyrannos hujus populi in Cathedra Mosis sedentes internecioni dando Ps. LXXXII. 6. 7. tunc enim, quando Messias veniret & traderetur in foedus populi, quando ut lux oriretur; jugum oneris populi huic impositum cum virga humeri illius, imo cum sceptro oppressionis illum plane contereretur. Jes. IX. 4. & plena filiorum Dei libertas cum plena redemtione concederetur. Cap. LII. 7-10.

§. XXV.

§. XXV.

Nec leviora forent effecta, minoresque fructus, qui ex promissa hac Messiæ vocatione & missione in salutem Gentium, populorum hactenus à Deo præteritorum & derelictorum profluerent. Traderetur enim in lucem Gentium hunc præcipuè in finem: ad educendum מבית כלוא ישבי חשך *è domo clausti habitantes intenebris*, ubi primo Gentiles considerari videmus tanquam *in domo claustri* vel ergastuli aut carceris constitutos, deinde proponuntur ut populi *intenebris habitantes vel sedentes*. *Domus claustri* nihil aliud denotat, quam carcerem, sive locum, in quem homines scelesti & malefici, qui publica eaque potissimum capitalia crimina patraverunt, conjici solent, & tanta continentur cura, catenis plerumque vincti & clausi, ut nullo modo abire inde possint. adeoque cum voce מסגר, de qua in antecedenti §. actum est, convenire videtur. Huic Domui claustri adjunguntur *tenebræ*, in quibus gentes habitare vel sedere ulterius describuntur, quia inter carcerem & tenebras peculiaris respectus intercedere solet, cum claustra & carceres plerumque tenebricosi admodum sint, & in opacis olim ac moestis, omnique luce carentibus subterrestribus meatibus struebantur, ita ut illi, qui in talibus locis vincti detinebantur, neque Solis, neque Lunæ lumen conspicere valerent, atque adeo re vera in tenebris habitare vel sedere censeri possent. Hinc captivi ut vincti in fovea, occlusique in claustro proponuntur Jes. XXIV. 22. eò etiam alluditur Ps. CVII. 10. ubi desidentes in tenebris memorantur vincti afflictione & ferro. Phrasis sedere vel habitare in tenebris (cum, qui sedet, alicubi manere, adeoque etiam habitare & commorari soleat) magna hic pollet vi ac emphasi, nonsolum enim statum miseriæ, in quem quis detrusus est, amplificat & adauget, sed etiam diuturnitatem & perennitatem ejus per multas temporum successiones indicat, quo quis longo tempore tenebris adeo obsitus fuit, ut plane omni lumine orbatus, & in tenebris quasi habitare & ambulare, adeoque ipsas quasi tenebras constituere videatur. Coeterum tenebræ, quæ è diametro luci oppositæ sunt, & propriè nihil aliud quam ca-

22. 24. 25. 26. 28. 33. 29. 32. 30 31.

rentiam & luminis privationem involvunt, in S. literis, ut notum est, emblema gerunt contrarii, ignorantiæ scilicet ut Joh. XII. 35. 1. Petr. II. 9. impietatis Eccles. II. 14. Ephes. V. 8. tristitiæ ac calamitatis eoque nomine status inconsolabilis Ps. CXII. 4. Jes. VIII. 22. Mich. VII. 8. imo summæ infelicitatis ad pernitiem usque æternam vergentis Matth. VIII. 12. XXII. 13. quibus omnibus, qui in tenebris sedere vel habitare dicuntur, obnoxii sunt. Deplorando huic statui S. scriptura sæpe comparat conditionem hominis naturalis, utpotè qui libertate amissâ captivus sub potestate Diaboli est, & ab eo tenetur Jes. XLIX. 24. 25. laqueo satanæ constrictus ad ipsius lubitum 11. Tim. II. 26. est quoque captivus & servus peccati Röm. VI. 17. 11. Petr. II. 19. qui tenetur funibus peccati Prov. V. 22. dicitur quoque præterea in tenebris esse & ambulare, quoniam oculos ipsius obcoecarunt. 1. Joh. II. 9. 11. Ita naturalis homo non capit ea, quæ sunt spiritus Dei, sunt enim ei stultitia, nec potest cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur. 1. Cor. II. 14. communionem habet cum infructiferis tenebrarum operibus, quæ in omnibus cogitationibus verbis & actionibus vitæ conspicienda præbet. Eph. V. 11. unde nihil aliud enasci potest nisi perpetuus accusantis conscientiæ horror cum metu poenæ æternæ, ab impiis exspectandæ, extra communionem Dei, in igne æterno satanæ ejusque asseclis parato Jes. XXXIII. 14. LVII. 20. 21. Matth. XXV. 41. Speciatim vero status gentilium in S. Codice his sub emblematicis locutionibus depingitur, præsertim in scriptis Apostolorum, qui terram eorum permearunt, & prædicatione evangelii de Messia impleverunt. Describuntur ut captivi in domo clausstri asservati, sub potestate nimirum satanæ & peccati miserrimum in modum jacentes, in quos ut filios inobedientiæ homines-que contumaces Diabolus princeps hujus mundi plenum excercebat dominum ac potestatem, imo in eis operabatur, ut ambularent secundum mores sæculi in cupiditatibus carnis Ephes. II. 2. 3. occurrunt quoque ut sedentes vel habitantes in tenebris. nonsolum apud Prophetam nostrum Cap. IX. 1. LX. 2. sed & in N. T. Luc. I. 78. 79. imo Eph. V. 8.

ipsæ

ipſæ vocantur *tenebræ, tenebris obscuratam mentem habentes, & alienati a vita Dei propter ignorantiam, quæ in ipſis erat, per obdurationem cordis ipſorum.* Cap. IV. 18. *Deus quippe hujus ſæculi adeo mentes eorum excoecaverat, ne irradiaret eos illuſtratio Evangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei* II. Cor. IV. 4. unde erant filii iræ à natura, abalienati à Deo, ſine ſpe vitæ æternæ perpetuam mortis umbram præ ſe ferentes, & nil niſi pernitiem metuentes. Epheſ. II. 12. quemadmodum §. XXI. ubi de naturali Gentilium conditione & ſtatu in genere & §. XXIII. ubi de coecis etnicorum oculis in ſpecie actum fuit, uberius indicavimus, quæ hic repetere ſuperfluum eſſet. Ingens itaque iterum, & ardui momenti beneficium eſt, quod miſerrimis iſtis Gentilium populis ex benevola hac traditione Filii ſui in lucem promanaturum prædicit Pater. hæc enim & hunc in finem fieret, *ut ſedentes eos in tenebris è domo clauſtri* EDUCERET. ubi verbum להוציא *ad educendum* quod per ellipſin, figuram in Rhetorum Scholis uſitatam, & genio linguæ Hebraicæ conſentaneam, quemadmodum GLASSIUS in philol. S. & RAMBACHIUS in Inſtitut. Hermenent. S. multis probarunt exemplis, omiſſum eſt, ad complendum ſenſum repeti & ſubjungi debet. Cum notio eductionis in Conjugatione Hiphil, prouti §. anteced. oſtenſum eſt, ereptionem & liberationem alicujus è ſummo mortis periculo aut alio quocunque malo & calamitate, involvat, hic Meſſiæ à Patre adſcripta, & de eo promiſſa nihil aliud innuit, quam plenam liberationem & vindicationem tam ex funeſta ſatanæ, peccati & æternæ mortis captivitate, quâ Gentiles cum omnibus Adami poſteris naturaliter tanquam in domo carceris detenti jacebant, quam ex cimmeriis quaſi ignorantiæ, ſuperſtitionis, idololatriæ, impietatis & omnis generis ſcelerum tenebris, in quibus hactenus infelicem in modum habitaverant & conſederant. Fieret autem iſta redemtio vel eductio partim per & propter plenam â Meſſia præſtandam ſatisfactionem, quâ turba captiva robuſti auferenda, atque captura violenti eripienda erat Jeſ. XLIX. 25. quâ captivorum multitudo captiva ducta eſt, ad accipienda ſalutis, quæ compa-

raturus esset, beneficia Ps. LXVIII. 19. partim per externam vocationem, cum valida è domo claustri eductione conjunctam, cum captivis atque vinctis per evangelii annuntiationem januam esse apertam indicaturus, atque facultatem captivis concessurus esset exeundi ergastulo & carcere. mittendus quippe Messias erat ad proclamandum captivis libertatem, vinctisque aperturam ergastuli Jes. LXI. 1. Coll. Luc. IV. 19. partim denique per efficacissimam eductionem brachio roboris & potentiæ suæ, ideoque catenis prius captivi solvendi erant, quamdiu enim vinculis satanæ & peccati circumdati erant, libertate, quâ eos donaturus esset Messias, gaudere non poterant. Sic Jehova solveret pro vinctis λυτρον Ps. CXLVI. 7. & compedibus ante vinctos educeret Ps. LXVIII. 7. Eodem modo eductionem & liberationem ex spissis, in quâ sedebant, tenebris ad salutem eorum præstaret, quando luce verbi & spiritus sui eos ita collustraturus esset, ut è somno peccati & statu mortis ad novam vitam resucitati instauratæ imaginis Dei vestigia prementes in cognitione veri Dei ejusque voluntatis incederent, imo sanctificati a Diis stercoreis, nec non à sordibus animæ ac corporis in luce faciei suæ ambularent, in parta ejus & per fidem assumta justitia ad tranquillitatem conscientiæ præ gaudio exultarent, uno verbo quando ita eos à potestate tenebrarum eriperet, ut in regnum suum lucis translati tanquam veri lucis filii lumen suum per studium sanctitatis in bonis operibus secundum regulam verbi sui quaquavorsum spargerent, atque ita spe viva summæ felicitatis idonei redderentur ad participandum de sorte sanctorum in luce ad laudem gloriæ Redemtoris sui & sempiternam nominis divini celebrationem. Hic itaque iterum salutaris foret fructus & finis vocationis Messiæ in foedus populi & lucem Gentium, arcem satanæ occupare, & fores carceris effringere, omnem tenebrarum nebulam dispellere, & veram cognitionis, sanctitatis, gaudii, ac felicitatis lucem introducere, ut miseri homines ex Judæis & Gentibus ad salutem electi, ex tenebris vindicarentur in lucem, ex carcere in libertatem filiorum Dei pleniſſimam. Talis promissio non poterat non vera

ra Zionis membra, ob prædicta in antecedentibus justa Dei Judicia ingenti dolore pressa, dulcissimo refocillare solatio, imo debitum eis animum addere, ut seriâ ad Deum reverterentur poenitentia, & annunciatum ipsis denuo Messiam sincero fidei desiderio exspectarent.

§. XXVI.

Quæ Pater de Filio suo expositis versibus promisit, suo etiam tempore, ut Deus veritatis exactè adimplevit, & porro usque ad consummationem mundi impleturus est. *vocavit enim eum* primo cum tempore plenitudinis è virgine Maria ex stemmate Davidis regio ortum ducente modo supernaturali nasci curaret, mittendo eum in mundum ad salutem miseris hominibus comparandam. deinde *vocavit eum ad justitiam* hoc est justè ac legitimo modo. nemo quippe sibi ipsi hunc honorem sumit, sed qui vocatur à Deo, ita & Christus non ipse sibi hunc honorem tribuit, ut fieret Pontifex, sed à Patre vocatus ad grave hoc munus obeundum Hebr. V. 4. 5. hocque fiebat convenienter Dei perfectionibus, ut nimirum Jehova exercituum exaltetur judicio, & Deus sanctissimus sanctificetur justitia Esa. V. 16. denique vocavit ad justitiam, ut veram & unicam coram Deo valentem justitiam obedientia suâ accquirendam hominibus annunciaret, & quærendam anxiè injungeret, quod fecit, dicendo auditoribus suis, nisi abundaret justitia eorum plus, quam illa scribarum & Pharisæorum, nequaquam in regnum coelorum ingressuros esse: quærite igitur primo regnum Dei, & justitiam ejus, tunc ista omnia adjicicentur vobis. Matth. V. 20. VI. 33. *Manum ejus prehendit* quandoquidem auxilio suo ei præsto adfuit, ita, ut non raro in summum vitæ discrimen perductus, à lethalibus hostium suorum moliminibus tam suâ quam Patris potentia liberaretur, neque ante impletionem præstituti passionum mortisque temporis nemo in eum manus injicere valeret. Joh. VII. 30. VIII. 16. 20. 29. *Custodivit eum* ut rem pretiosam, curam gerendo, ne os illius confringeretur ullum Joh. XIX. 36. ne corruptionem in sepulchro

videret, liberando eum potestate mortis atque sepulchri, eum è mortuis suscitando, atque in æternam gloriam introducendo. *Tradidit eum Pater in foedus populi* ut Apostolum & Pontificem professionis nostræ Hebr. III. 1. tum quando illum ut Filium suum unigenitum daret, non parcendo, sed pro nobis tradendo, ut nobis cum eo omnia ad vitam & pietatem necessaria communicaret Röm. VIII. 32. 11. Petr. I. 3. Effuso enim largiter in cruce novi meliorisque foederis sanguine populo suo ex Judæis & Gentibus in peculium ipsi dato certissimas Davidis benignitates comparavit applicatque, veram nimirum unicè coram Deo valentem justitiam, plenissimam peccatorum remissionem, ingentem cognitionis, sanctificationis & solatii mensuram ex larga spiritus sancti effusione promanantem, uno verbo omnia N. Foederis promissa bona & beneficia, qua salus populi ad vitam usque æternam consummatur. tum denique, quando illum per prædicationem evangelii publice proposuit tanquam ἱλαστήριον per fidem in sanguine ipsius Röm. III. 25. missus enim est à Patre, ut quisquis conspiceret Filium, crederetque in illum, haberet vitam æternam Joh. VI. 40. quapropter etiam à Patre summo affectus est honore, ut ad ejus nomen sese omne genu flecteret coelestium ac terrestrium & subterraneorum Phil. II. 10. 11. Quod Messias quoque *datus sit in lucem gentium* Simeon canus ille senex consolationem Israelis exspectans, Dominumque servatorem incarnatum oculis corporis videns optime exponebat prædicebatque Luc. II. 32. Christum vocans *lumen detegendum gentibus.* Nec implemento caruit, siquidem prima statim hujus veritatis exordia conspiciebantur in apparitione Magorum orientis, natum Judæorum Regem divino honore & cultu prosequentium, deinceps in miraculosa quorundam gentilium à servatore in publicum prodeunte patrata sanatione, & conjuncta eorum conversione Matth. VIII. & XV. Majori autem emphasi *in lucem gentium traditus est,* quando per passiones consummatus post resurrectionem in coelis exaltatus, & caput Ecclesiæ constitutus est. Tunc enim Apostoli vi accepti mandati profecti sunt in totum orbem habita-

habitabilem, docendo omnes gentes, evangeliumque de Christo luce gentium undique propagando. Initio quidem sermonem Dei Judæis exposuerunt, postquam autem propter inobedientiam se hac gratia indignos gesserant, se converterunt ad gentes, illasque evangelio Christi ad salutem animarum collustrarunt, quemadmodum acta Apostolorum, eorumque scripta ad plantatas gentium ecclesias abunde satis demonstrant. Sicuti enim Petrus Cornelium centurionem etnicum concione efficaciſſima de Christo ad fidem in eum perducebat, ita Paulus imprimis ab eo constitutus erat Gentium Doctor, ut esset lux gentium, & saluti usque ad ultimas terras. Hunc in finem & ipse luce Christi coelitus emissa efficaciter illuminatus conversusque ab Hierosolymis usque ad Illyricum omnia evangelio Christi implevit Rom. XV. 16-20. Gentes autem hæc audientes gavisæ sunt, & laudibus extulerunt sermonem Domini, & crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam æternam Actor XIII. 48. Quod implementum vs. 7. expositi attinet, illud Christus os veritatis in se ipso demonstravit, ubi sese missum esse dicebat, ut pauperibus evangelizaret, ut mederetur contritis corde, ut prædicaret dimissionem captivis, atque coecis visus recuperationem, ut confractos in libertatem emitteret Luc. IV. 18. In mundum quippe venerat, ut, qui non viderent, videant Joh. IX. 39. ut aperiret oculos gentium, easque converteret à tenebris ad lucem, è potestate Satanæ ad Deum, ut remissionem peccatorum consequerentur act. XXVI. 18. Efficaciſſime etiam evangelio & operatione Spiritus Sancti oculi hi coeci aperti sunt, vincti compedibus Satanæ ac tenebrarum claustro, sedentes in tenebris carcere educti sunt, ut qui olim tenebræ essent, lux in Domino evasissent Ephes. V. 8. erepti nempe è potestate tenebrarum, atque translati in regnum filii Dei, idonei eo nomine redditi ad consequendam sortem sanctorum in luce Col. I. 12.13. donati sunt libertate, postquam Christus domum potentis illius Satanæ ingressus, vasa ejus diripuit Matth. XII. 29. atque ita per mortem potestatem ademit illi, penes quem est mortis robur hoc est diabolo Hebr. II. 14. Imo peccato totius

totius populi sui per mortem crucis uno die ablato & deleto Judæos & Gentes in libertatem vindicavit, ut vere liberi evaderent Joh. VIII. 36. ut liberati a peccato servi essent justitiæ, Christo ejusque servitio mancipati. Röm. VI. 18. Ne jam multa dicam de libertate à difficili legis Ceremonialis onere, & strenuissimis ejus pædagogis, quam Christus populo suo comparavit, concessitque, postquam ipse totum ejus choragium cruci affixum è medio sustulit, siquidem Paulus eam passim in epistolis suis, præcipuè ad Hebræos & Galatas ad evidentiam usque demonstrat, & fideles ex Judæis & Gentibus serio adhortatur, ut in libertate, quà Christus eos liberaverat, præstarent, neque ad egena & infirma elementa regredientes, amplius implicarentur jugo servitutis. Quotquot igitur, ut ad finem perveniat dissertatio, nonsolum tunc, verum etiam in sequentibus temporibus, imo adhucdum illuminatos mentis oculos consequuntur, spirituali carcere educuntur, perennia hujus veritatis atque implementi hujus prædictionis monumenta sunt. Pleniſſimum vero oraculi nostri complementum Ecclesia Servatoris secundum vaticinia Prophetarum, in ultimis N. T. diebus adhuc exspectabit, quando Messias Jesus Christus summa emphasi ostendet, se à Patre suo traditum esse in foedus populi & lucem Gentium, tunc enim electi ex Israele reversi quærent Jehovam Deum suum, & Davidem Regem suum (quem adhuc dum aspernantur) & pavidi accedent ad Jehovam & ad bonitatem ejus Hos. III. 5. Tunc quoque plenitudo Gentium, cognitione sospitatoris hactenus destitutarum, felicissime intrabit Hierosolymam novam è coelo descendentem ad consummationem regni filii Dei, & implebitur plene visio Johanni Apocal. XXI. vs. 22-26. ostensa: *Nec templum vidi in ea: Dominus enim Deus omnipotens, templum illius est, & Agnus: Neque civitas ista eget sole vel luna, ut luceant in ea, nam gloria Dei illustrat eam, & lucerna ejus est Agnus. Et gentes, quæ servatæ fuerint, ambulabunt ad lucem ejus, & reges terræ gloriam suam & honorem ad eam adferent. Nec portæ ejus claudentur interdiu, nox enim non erit illic. Et adferetur gloria & honor gentium ad eam.*

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862227305/phys_0116
DFG

VIRO PLURIMUM REVERENDO

ET DOCTISSIMO

COLLEGÆ IN MUNERE ECCLESIASTICO ÆSTIMATISSIMO

J. F. WINTER.

S. D.

NICOLAUS NONNEN

Est sane quod Tibi *Vir Plurimum Reverende* gratuler, non de gradu solum, ut audit Theologico, quo Te alma Duisburgensis ornavit, sed & de restituta, & nunc sic satis roborata, diu antea afflicta, valetudine, cum maxime de specimine, quod luci exponis publicæ, quoque testatum reddis, honores in Te, neutiquam immerentem, fuisse collatos. Aspirasti ad καλὸν βαθμὸν 1. Tim. III. 13. illumque Tibi acquisivisti, instituto, tunc demum laudando, si dignitatis titulus & ornamentum, animum incitent ad pergendum continuo in augendis sacratioribus, tum cognitione, tum experientia & habitibus. Quamquam enim Paulus, ad gradus Academicos, tunc quidem usu nondum recep-

24. 25. 26. 27. 28. 33. 29. 32. 30 31.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862227305/phys_0117
DFG

receptos, digitum non potuerit intendere, intendit tamen obſervante H. GROTIO ad Eccleſiaſticos, tunc obtinentes, ad quos pergendum erat, aſſiduo labore, ſtudio & prædicationi verbi divini, impenſo. Uti Te novi *Vir Plurimum Reverende*, & uti dudum novi, cum tyrocinia in ſtudiis ſacris poneres, & miniſterio verbi admotus, indefeſſa ſemper, negotia tua perageres diligentia; ſic certus & perſuaſiſſimus ſum, novos honores, ſtimulorum inſtar, animum eſſe impulſuros, ad nobile iſtud plus ultra, in ſtadio quod nobis eſt decurrendum, ne defetiscat unquam. Adſit Tibi Numen, laboribus benedicat largiter, & demum ætate meritisque de ejus cauſa gravem, ad ſe vocet. Tu vero *Collega æſtimatiſſime*, quod hactenus deſiiſti nunquam, me amare perge. Vale Dab. Bremæ d Maji A. MDCCLIX.

VIRO PLURIMUM REVERENDO

ET DOCTISSIMO

DOMINO

J. F. WINTER

COLLEGÆ SUO INTEGERRIMO SUAVISSIMO

S. P. D.

E. WAGNER

Gaudium quo nuper perfundebar, cum Academia Duisburgensis Te laurea doctorali ornaret, nunc reviviscit denuo, cum præsenti dissertatione, Eruditionis Tuæ monumentum erigas. Collegam conjunctissimum fidumque laborum socium, in Te hactenus veneratus sum. Sincerum insuper Amicum, & ad quævis humanitatis officia paratum, Te mihi semper exhibuisti. Non igitur possum non, quin affectum quo Te prosequor, hac scriptione tester. Non quidem in laudes Tuas, hac occasione excurrere animus est, quod nec modestia Tua, nec mutui amoris affectio permittit. Gratulor

24. 25. 26. 27. 28. 33. 29. 32. 30 31.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862227305/phys_0119
DFG

tulor potius honores in Te collatos. Gratulor scientiæ Theologicæ specimen, Te omni ex parte dignum, quod jam in publicum prodire jubes. Fruere diu honore quo mactatus es. Restitutas nuper ex gravi morbo corporis vires, summum Numen vegetas diu conservet. Laborum quibus diligenter & strenue incumbis, lætis successibus utere. Animum meum Tibi deditum nosti. De Tua erga me voluntate dubitavi nunquam. Quamobrem nec quæsitis verborum lenociniis Te mihi porro faventem reddere studeo. Vale Collega Optime, & res tuas age ex voto.

Dabam Bremæ d. 16. Maji. Anni 1759.

Index

1. G. C. Hosmanni Chronologica Ier. Ez. Haggi Zach. Esr. & Nehem variis Observatt. illustrata.
2. C. S. Meintel (s. P. p. t. A. M. Nägelii) de Locis quibusdā Tobi, in quibus Schultens maj. lucē desiderarit.
3. J. S. Weickmanni Tobus Resurrectionis non typus sed professor
4. J. A. Siepig in C. Job. XIX. 25 formulam ולי ידע גאלי de Goele usurpatam.
5. C. F. Wernsdorfius de Deo hominis manus obsignante ad Job. XXXVII. 7.
6. C. B. Michaelis de Jesu Filio Dei per resurrectionē ex mortuis demonstrato ex Ps. II. 7.
7. J. G. Hoffmius (s. P. p. C. Hebenstreitii) de Discrepantia & Consensu Ps. XVIII. & II. Sam. XXII.
8. J. G. Gross de Deo, pios piorum posteros non deserente, ad Ps. XXXVII. 25.
9. J. J. Bosius de Cultu Dei in silentio, ad Ps. LXV, 2.
10. G. C. Goldschad de Choro Musico gloriam Christi celebrante ex Ps. LXVIII. 26.
11. N. Nonnen de Tzippor & Deror symbolis Proselytorū sub Josaphate regno graecorū, ad Ps. LXXXIV. 4.
12. G. M. Richertz Commentatio ad Ps. CIII. 5.
13. a. C. Fr. Cr. (s. P. F. Wekenii) Diss. prior in Prover. XXII. 20.
b. ——— Diss. posterior.
14. J. J. Ritteri (s. P. p. J. F. Stiebritzii) Vindiciae Salomonis adversus criminationem Scepticismi.
15. J. V. Brigleb Disquisitio: Utrum Salomo Eccles. VII. 2 diem hominis natalem intuitus?
16. J. F. Cotta de Rectitudine hominis primaeva secundum orac. sac. Eccles. VII. 30.
17. J. H. a Seelen Summa doctrinae e Cohel. XII. 13. 14.
18. C. Ikenius de Lilio Saronitico, emblemate Sponsa ad illustr. l. Cant. II. 1.
19. W. F. F. Gesner (s. P. J. F. Cotta) de Gloriosa Majestate Dei tremenda, juxta orac. Jes. VI. 1-3.
21. C. F. Bauer de Voce in Deserto Ps. XL. 3-5 coll. Luc. III. 4-6.
20. ——— Proconium succisi Graminis & Floris. Ps. XL. 6. 7. 8 coll. I Petr. I. 23. 24.
22. J. F. Winter de Vocatione Messiae a Patre ad munus mediatorium, ad Ps. XLII. 6. 7.
23. P. Petreji (s. P. W. Lyseri) Christi patientis Ps. LXIII. descriptio.
24. J. G. Hofmann de Sceptro Filii Dei omne lignum spernente, ad Ezech. XXI. 10 & 13.
25. C. H. Falke de Potiori coelestis felicitatis gradu piis in scholis Doctoribus promisso, ad Dan. XII. 3.
26. J. A. Pathe ex Aquila reliquiae interpretationis Hoseae.
27. ——— [illegible] Zerrn Verfassers [illegible]
28. J. J. a Duhn de Unione Mystica ex V. T. Hos. II. 19. 20 delineata.
29. F. B. Beltke (s. P. C. G. Hase) Stilus Amosi prophetae ex illius vita eruitur.
30. J. G. Zeising (s. P. J. G. Walchii) de Josua, summo sacerdote, Christi typo ex Zach. III. 1-2.
31. Th. Dassovii Missa Malach. I. 2. non indicata.
32. J. H. Becker de Isaaco fidei conjugalis exemplo, ad Malach. II. 15.
33. a. & b. M. W. C. Stauff (s. P. J. F. Hirtii) de Elia futuro jam manifestato, ad Malach. III. 23. 24.
34. E. S. Ackermanni Masora ad fidem totius Legis, Prophetarum ac Hagiographorum illuminata.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862227305/phys_0121
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862227305/phys_0126
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862227305/phys_0127
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862227305/phys_0128
DFG

l notas per litteras expreſſas in Tabul.

ת פ ט ר ו ת

nes Iudaei ſc. Hiſpani et Germani non
t easdem ſectiones ex Prophetis, ideoque
ne Haphtaroth eadem ſectio bis repetitur:
n ſaepe elegerunt Iudaei Germani, aliam
ani. Propterea ſaepe haec nomina Ger-
et Hiſpanorum hebraice in tabula illa
rimuntur.

Paraſchae

inueniuntur

VI, 9.	XII, 1.	XVIII, 1.
I, 1.	XXV, 19.	XXVIII, 11.
II, 4.	XXXVII, 1.	XXXXI, 1
XIIII, 18.	XXXXVII. 28.	

I.	VI, 2.	X, 1.	XIII, 17.
,I.	XXI, 1.	XXV, 1.	XXVII, 20.
II.	XXXV, 1.	XXXVIII, 21.	